


# HOMERI
# HYMNI ET EPIGRAMMATA

EDIDIT

GODOFREDVS HERMANNVS

LIPSIAE

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

CIƆIƆCCCVI



VIRO SVMME REVERENDO

# CAROLO DAVIDI ILGENIO

S. S. THEOLOGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI

RECTORI SCHOLAE PRINCIPVM PORTENSIS

S. D.

GODOFREDVS HERMANNVS.

Magna cum voluptate recordari ſoleo illius temporis, quo te, Ilgeni, vir ſumme reverende, magiſtrum habui. Nemo enim quisquam eſt, cui tantum, quantum tibi, debeam, qui ſimulac me, ferocis ingenii puerum, et ad arma quam ad litteras paratiorem, in diſciplinam acceperas, non modo domuiſti facillime, ſed mox etiam tanto litterarum amore incendiſti, ut ex illo tempore nihil his ſtudiis, quibus nunc quoque vir factus teneor, haberem iucundius. Ac neſcio litteras ipſarum magis an tua cauſſa amare coeperim: quod, quum ſeveritatem tuam et iuſtitia viderem et humanitate temperatam eſſe, ita mihi maxime placebam, ſi tuo me iudicio probari intelligerem. Ita factum eſt, ut et tu me diligeres, quemad-

modum etiam nunc diligis, nec mihi quisquam te esset carior. Ac par erat huius amoris, quem nulla absentiae diuturnitas potuit minuere, iam pridem aliquod a me edi monimentum, non quo tu meam erga te pietatem, de qua non dubitare te scio, intelligeres, sed quod aequum esse videretur, ei, cuius institutione primum ad strenuam litterarum tractationem, et, quod maius est, ad honestatem formatus essem, me palam agere gratias. Itaque quum nuper ad Homeri hymnos revocatus essem, in quibus olim, ut scis, tuo hortatu primum puerilis exercitationis posui rudimentum: nihil reperiri posse putavi, quod magis tamquam tuum ad te mitterem, quam si quid in his hymnis, quod operae pretium esset, me observasse sperarem; praesertim quum a te ipso eadem carmina amplissimis essent et plenis multiplicis doctrinae commentariis illustrata. Et confirmatus sum in hac sententia, quum mihi Langius noster, collega tuus, cui scripseram, quid de his hymnis sentirem, ea a te probari significaret. Accipe ergo, Ilgeni, hoc munusculum ita, ut ei pretium ex mea in te voluntate statuas. Nam ad caetera quod attinet, sat praemii me consequutum putabo, si viri intelligentes hanc Homeri hymnorum editionem non esse superfluam iudicabunt. Consilium certe non idem habui, quod alii editores. Nam emendare quidem haec car-

mina ſtuduimus omnes: ſed quum viae ad eum finem ducerent plures, hanc alii viam ingreſſi ſunt, quae, ut ego exiſtimo, non perduceret. Nec mirum. Magnum enim et excellentem ducem plerique ſequuntur, magis quam par eſt ſecuri. Ita fit ut eo aberrent, quo ille non ducturus fuiſſet. Ac Ruhnkenius, qui primus noſtra memoria bene meritus eſt de hymnis Homericis, quosdam verſus ut ſpurios eiecerat. Id genus emendandi quum aliis ſive ob facilitatem, ſive quod inſignem criticum prodere videretur, valde placuiſſet, exſtiterunt plures, qui quidquid in his hymnis expedire non poſſent, eiiciendum putarent. Quae emendandi ratio quam ſit temeraria, non opus eſt ut demonſtrem. Illud vero mirabile eſt, non cogitaſſe illos, qui fieri potuerit, ut tot tantisque additamentis hi hymni deformarentur. Nam quod dicere ſolent, Graeculum iſta compoſuiſſe, grammaticum addidiſſe, verſus aliunde veniſſe, quid tandem hoc eſt, aut quamnam vim habet, ſi Graeculos Graecis digna, grammaticos Homerum decentia loqui videmus? Illud autem, quum verſus aliunde veniſſe dicunt, quid aliud quam deſperatio eſt, unde veniſſe dicant neſcientium? Horum igitur criticorum ratio quod mihi displicuerit, non arbitror me excuſatione egere. Duae vero ſunt aliae viae, a quibus meliorem fructum ſperari poſſe exiſtimo.

Vtramque iam aliis locis indicavi, unam olim et clare, ſed fruſtra, alteram nuper, ſed obſcurius. Prior illa in inveſtigatione lacunarum poſita eſt, quarum ſatis magnum eſſe in his hymnis numerum tum res ipſa monſtrat, tum codicum comparatio docet, alia, quae non erant in vulgatis editionibus, addentium, alia, quae ſunt in his editionibus, omittentium. Et vix dubitari poteſt, quin lectio hymnorum Homeri, quam nos habemus, ex uno quodam eoque lacunoſo codice manaverit: id quod etiam me tacente infra clarius patebit. Sed hoc quidem genus emendationis, quod ex lacunarum notatione depromitur, planum eſt, et in ſingulis locis ſemet ipſum tuetur. Alterum plus habet difficultatis, multisque in locis tam eſt impeditum, ut a mutanda lectione etiam avocet criticum. Repetam rem ab ipſis eius initiis.

Ex quo vir ſummus, Fr. Aug. Wolfius, Homerum nobis non uno modo reſtituit, quum de aliis rebus multis rectius iudicari coeptum eſt, tum rhapſodorum ars et diſciplina in clariorem lucem poterit protrahi. Neque enim nunc quidem fieri poteſt, quin diligens et attentus Homericorum poematum lector, ſi disſimilitudinem partium et ſimilitudinem perſpicere didicerit, ſimul etiam intelligat, quo conſilio, quaque ratione in his carminibus faciendis poetae, quorum ea car-

mina ſunt, uſi fuerint. Ex quo genere ea nunc promam, quibus hic opus habeo. Rhapſodi ſive Homeridae quum diſcendis recitandisque Homeri carminibus multum artis poeticae uſum conſequuti eſſent, ſi quid ipſi componerent, triplici maxime ratione utebantur. Aut imitabantur Homerum, aut ab Homero dicta copioſius perſequebantur, aut carmina eius interpolabant. Atque imitatio quidem non in ſimili quadam rerum tractatione et conformatione dictionis conſiſtebat, ſed eo usque progrediebatur, ut et verſus integros et locos inſignes ex Homeri carminibus depromere in magna laude poneretur. Placet ſingula genera, quum pluribus exemplis poſſim, uno certe, ſed eo illuſtri, confirmare. Atque imitationis luculentum cernitur documentum in principio octavi libri Iliadis, in quem locum plurima congeſta ſunt, quae Homerus vel alius poeta (Homerus enim de duobus is eſt, qui eſt antiquior) aliis in locis aptius et maiore cum vi poſuerat. Secundo loco commemoravi tractationem eorum, quae Homerus breviter indicaſſet. Huius quoque rei memorabile exemplum habet Ilias. Nam illa deorum pugna in libro viceſimo primo, quam quidam non immerito reprehenderunt, quid eſt aliud, quam explicata narratio eorum, quae Homerus his verſibus, quibus nihil inveniri poteſt divinius, adumbraverat:

δεινὸν δ' ἐβρόντησε πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε
ὑψόθεν· αὐτὰρ ἔνερθε Ποσειδάων ἐτίναξεν
γαῖαν ἀπειρεσίην, ὀρέων τ' αἰπεινὰ κάρηνα.
πάντες δ' ἐσσείοντο πόδες πολυπίδακος Ἴδης,
καὶ κορυφαὶ, Τρώων τε πόλις, καὶ νῆες Ἀχαιῶν.
ἔδδεισεν ὑπένερθεν ἄναξ ἐνέρων Ἀϊδωνεύς,
δείσας δ' ἐκ θρόνου ἆλτο, καὶ ἴαχε, μή οἱ ὕπερθεν
γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη
σμερδαλέ', εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.
τόσσος ἄρα κτύπος ὦρτο θεῶν ἔριδι ξυνιόντων.
ἤτοι μὲν γὰρ ἔναντα Ποσειδάωνος ἄνακτος
ἵστατ' Ἀπόλλων Φοῖβος, ἔχων ἰὰ πτερόεντα·
ἄντα δ' Ἐνυαλίοιο θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη·
Ἥρῃ δ' ἀντέστη χρυσηλάκατος κελαδεινὴ
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα, κασιγνήτη ἑκάτοιο·
Λητοῖ δ' ἀντέστη σῶκος ἐριούνιος Ἑρμῆς·
ἄντα δ' ἄρ' Ἡφαίστοιο μέγας ποταμὸς βαθυδίνης,
ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον.

Tertius denique modus, quo rhapſodi Homero utebantur, in interpolatione poſitus eſt. Interpolationem autem dico non modo quam nunc plerique intelligunt, quae eſt in adiectione novorum verſuum, ſed quam antiqui appellabant, cuius eſt omnino rem veterem nova ſpecie induere. Hoc genus late patet, ſed plerumque facile deliteſcit. Vt ex Homericis carminibus exemplum afferam, quis non videt, longam illam Neſtoris

orationem, quae eſt in undecimo libro Iliadis, alius poetae additamentum eſſe? in qua oratione tot inſolentia, tot negligenter dicta, tot ſemel poſita inveniuntur, quot vix in ullo alio Homericorum poematum loco. Diverſae ab his interpolationibus eae ſunt, quae debentur diaſceuaſtis. Qui fieri non potuit quin multa mutarent, demerent, adderent, non modo ut diverſa carmina connecterentur, et tolleretur, ſi quid cum aliis locis pugnaret, ſed etiam quum plura carmina, in quibus eadem res tractata eſſet, in unum confundebantur. Cuius generis duo maxime ſunt in Iliade loci, longiores illi et perturbatiores, quam ut videantur ab uno poeta componi potuiſſe, pugnam ad naves dico, et Patrocleam. Vtrumque carmen e duobus, niſi e pluribus, conflatum eſt. In priori enim, ut aliquod ſaltem argumentum afferam, manifeſto quaedam ſunt, quae qui fecit, murum, quem Graeci condidiſſe feruntur, ignoravit, quum alter poeta eius mentionem faciat. In altero carmine ſunt quae eo ducere videantur, ut duas narrationes confuſas fuiſſe exiſtimemus, quarum altera Patroclum ab Euphorbo, altera ab Hectore occiſum referebat. In huiusmodi quidem carminibus criticus in eo debebit conſiſtere, ut, quoad fieri poteſt, ſingularum partium indicia eruat: numquam autem eo poterit perveniri, ut priſtina illarum partium for-

ma restituatur. Melius res succedet in aliis veteris poeseos reliquiis. Etenim illa ideo commemoravi, ut similem interpolationem, sed quae explicationem magis certam habet, in Homeri hymnis aperirem. Neque in his tantum, sed etiam in Batrachomyomachia et Theogonia Hesiodi. In his enim carminibus omnibus alia temere repeti, alia sibi repugnare, alia denique diverso dictionis genere exponi quis neget? Haeccine vero quemquam moveant, ut continuo, si quid cum caeteris partibus non bene conveniat, eiiciendum existimet? Immo rectius ista servabit omnia, et quae spuria videntur, non minus genuina, quam quae genuina, spuria esse censebit. Mutant enim speciem, prout consideres. Sed dicam de hac re explicatius. Hesiodi Theogoniam hymnosque Homeri et Batrachomyomachiam alii poetae nunc addendo, nunc detrahendo, nunc mutando, prouti cuique consilium, quod ipse habebat, postulare videbatur, interpolaverant: quae carmina si sic interpolata ad nostram aetatem pervenissent, profecto nulla ex parte facilius esset interpolatoris verba ab antiqui poetae dictis distinguere, quam in Iliade et Odyssea. Sed magno fortunae beneficio factum est, ut in plurimis locis simul et veterem carminum istorum formam, et ea, quae interpolatorum sunt, habeamus. Librarii enim, qui diversas illorum poematum re-

censiones ante oculos habebant, quum eas multis in locis congruere inter se animadverterent, eas recensiones, ut labori parcerent, in unum corpus coniunxerunt, semel scribentes, quae diversarum recensionum communia essent. Quamquam sic quoque factum est, ut hic illic aliquid sive de antiquioris poetae verbis, sive de mutationibus et additamentis interpolatorum interiret, maxime si non toto versu, sed hemistichio tantum, vel alia leviori re inter se discreparet diversorum poetarum oratio. Quod etsi valde dolendum est critico, quem ea res nunc ad periculosam coniectandi necessitatem compellit, nunc etiam omnino incertum reddit: nihil tamen impedit, quin ipsam de pluribus recensionibus disputationem, quoad licet, persequatur. Equidem Batrachomyomachiam hic plane praetermittam, quae minoris momenti est, quam ut in ea longius morari velim. Eius carminis varias lectiones qui consideraverit, sponte intelliget, non versus quosdam tamquam spurios expelli debere, sed plures constituendas esse Batrachomyomachias, quarum multa communia, alia diversa sint. Theogoniae recensiones, quas in unum corpus coniunctas habemus, numerari posse septem puto, si e prooemio, quod ex multis fragmentis constare iam alii viderunt, satis tuta potest coniectura peti. Ipsum enim opus eo est argumento, ut, quum magnam partem per-

petuitate narrationis careat, non multum praeſidii ad iſtam coniecturam conferre poſſit. Quamquam quum in his locis, quibus nihil praeter deorum origines continetur, quaedam vel aperte ſibi repugnant, vel ipſa re ab aetate Heſiodi abhorrent, tum vero magis etiam illae partes, quae maiorem ornatum admittunt, ſententiam noſtram eximie confirmant. Vt unum ſaltem exemplum afferam, quis ſibi perſuadebit, quae verſu 727. leguntur,

αὐτὰρ ὕπερθεν
γῆς ῥίζαι πεφύασι καὶ ἀτρυγέτοιο θαλάσσης,

quaeque deinde ſcripta inveniuntur v. 736.

ἔνθα δὲ γῆς δνοφερῆς καὶ ταρτάρου ἠερόεντος,
πόντου τ' ἀτρυγέτοιο καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
ἑξείης πάντων πηγαὶ καὶ πείρατ' ἔασιν,
ἀργαλέ' εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ,'

horumque verſuum repetitionem v. 807. quis igitur ſibi perſuadebit, haec ab eodem poeta cani potuiſſe? Immo omnis iſta inferni deſcriptio ne e duabus quidem aut tribus recenſionibus tam potuit ampla et copioſa enaſci. Quamquam non omnia in hoc genere in claram lucem protrahi poterunt, propterea quod multa interpolatorum additamenta, ut e Galeno cognoſcimus, perierunt. Sed redeo ad exordium Theogoniae: quod quoniam, librariis nondum taedio adnotandarum interpolationum captis, ſatis integrum ad noſtram aetatem perveniſſe videtur, experiar, Ilgeni, an,

quae illo in loco confuſa ſunt diverſorum poetarum prooemia, ſeparari queant. In qua re aſſentieris mihi, ut ſpero, haec duo tamquam veri ſimillima ſumenti, primum, omnes illos poetas eodem verſu, quem Heſiodi nomen ſacraverat, eſſe exorſos; deinde alius rhapſodi prooemium rurſus eſſe ab aliis rhapſodis interpolatum. Ita haec fere invenientur exordia: primum hoc:

1 Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ᾽ ἀείδειν
22 αἵ νύ ποθ᾽ Ἡσίοδον καλὴν ἐδίδαξαν ἀοιδήν,
ἄρνας ποιμαίνονθ᾽ Ἑλικῶνος ὕπο ζαθέοιο.
τόνδε δέ με πρώτιστα θεαὶ πρὸς μῦθον ἔειπον·
Ἴδμεν ψεύδεα πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα·
ἴδμεν δ᾽, εὖτ᾽ ἐθέλωμεν, ἀληθέα μυθήσασθαι.
Ὣς ἔφασαν κοῦραι μεγάλου Διὸς ἀρτιέπειαι,
καί μοι σκῆπτρον ἔδον, δάφνης ἐριθηλέος ὄζον
δρέψασαι θηητόν, ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν
θείην, ὡς κλείοιμι τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα,
καί με κέλονθ᾽ ὑμνεῖν μακάρων γένος αἰὲν ἐόντων,
σφὰς δ᾽ αὐτὰς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδειν.
ἀλλὰ τίη μοι ταῦτα περὶ δρῦν ἢ περὶ πέτρην;
τύνη Μουσάων ἀρχώμεθα, ταὶ Διῒ πατρὶ
ὑμνεῦσαι τέρπουσι μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,
εἰρεῦσαι τά τ᾽ ἐόντα τά τ᾽ ἐσσόμενα πρό τ᾽ ἐόντα,
φωνῇ ὁμηρεῦσαι· τῶν δ᾽ ἀκάματος ῥέει αὐδὴ
ἐκ στομάτων ἡδεῖα· γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς,
Ζηνὸς ἐριγδούποιο, θεῶν ὀπὶ λειριοέσσῃ
σκιδναμένῃ· ἠχεῖ δὲ κάρη νιφόεντος Ὀλύμπου,

δώματά τ' ἀθανάτων. αἳ δ' ἄμβροτον ὄσσαν ἱεῖσαι,
θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ
ἐξ ἀρχῆς, οὓς Γαῖα καὶ Οὐρανὸς εὐρὺς ἔτικτον,
οἵ τ' ἐκ τῶν ἐγένοντο θεοὶ, δωτῆρες ἐάων.
δεύτερον αὖτε Ζῆνα, θεῶν πατέρ' ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν,
ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαί, λήγουσί τ' ἀοιδῆς,
ὅσσον φέρτατός ἐστι θεῶν, κράτεΐ τε μέγιστος.
αὖτις δ' ἀνθρώπων τε γένος, κρατερῶν τε γιγάντων
ὑμνεῦσαι, τέρπουσι Διὸς νόον ἐντὸς Ὀλύμπου
Μοῦσαι Ὀλυμπιάδες, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Secundum exordium hoc eſt:

1 Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
αἵ θ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε,
καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἀπαλοῖσιν
ὀρχεῦνται, καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος,
11 ὑμνεῦσαι Δία τ' αἰγίοχον καὶ πότνιαν Ἥρην,
Ἀργείην, χρυσέοισι πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν,
κούρην τ' αἰγιόχοιο Διὸς γλαυκῶπιν Ἀθήνην,
Φοῖβόν τ' Ἀπόλλωνα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
ἠδὲ Ποσειδάωνα γεήοχον, ἐννοσίγαιον,
καὶ Θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ' Ἀφροδίτην,
Ἥβην τε χρυσοστέφανον, καλήν τε Διώνην,
Λητώ τ', Ἰαπετόν τε, ἰδὲ Κρόνον ἀγκυλομήτην,
Ἠώ τ', Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπρήν τε Σελήνην,
Γαῖάν τ', Ὠκεανόν τε μέγαν, καὶ Νύκτα μέλαιναν,
ἄλλων τ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων.

Sequitur tertium:

Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
αἵ θ' Ἑλικῶνος ἔχουσιν ὄρος μέγα τε ζάθεόν τε,
καί τε λοεσσάμεναι τέρενα χρόα Περμησσοῖο,
ἢ Ἱππουκρήνης, ἢ Ὀλμειοῦ ζαθεοῖο,
ἀκροτάτῳ Ἑλικῶνι χορεὺς ἐνεποιήσαντο,
καλοὺς, ἱμερόεντας, ἐπεῤῥώσαντο δὲ ποσσίν.
ἔνθεν ἀπορνύμεναι, κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῇ,
ἐννύχιαι στεῖχον, περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι
ὑμνεῦσαι Δία τ' αἰγίοχον καὶ πότνιαν Ἥρην,
Ἀργείην, χρυσέοισι πεδίλοις ἐμβεβαυῖαν,
κούρην τ' αἰγιόχοιο Διὸς γλαυκῶπιν Ἀθήνην,
Φοῖβόν τ' Ἀπόλλωνα, καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
ἠδὲ Ποσειδάωνα γεήοχον, ἐννοσίγαιον,
καὶ Θέμιν αἰδοίην, ἑλικοβλέφαρόν τ' Ἀφροδίτην,
Ἥβην τε χρυσοστέφανον, καλήν τε Διώνην,
Λητώ τ', Ἰαπετόν τε, ἰδὲ Κρόνον ἀγκυλομήτην,
Ἠώ τ', Ἠέλιόν τε μέγαν, λαμπρήν τε Σελήνην,
Γαῖάν τ', Ὠκεανόν τε μέγαν, καὶ Νύκτα μέλαιναν,
ἄλλων τ' ἀθανάτων ἱερὸν γένος αἰὲν ἐόντων.
ταῦτ' ἄρα Μοῦσαι ἄειδον, Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι,
ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι,
Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη θ', ἥ τε προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

ἣ γὰρ καὶ βασιλεῦσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.
ὅντινα τιμήσουσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
γεινόμενόν τ' ἐσίδωσι Διοτρεφέων βασιλήων,
τῷ μὲν ἐπὶ γλώσσῃ γλυκερὴν χείουσιν ἐέρσην,
τοῦ δ' ἔπε' ἐκ στόματος ῥεῖ μείλιχα· οἱ δέ νυ λαοὶ
πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι, διακρίνοντα θέμιστας
ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὃ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύων,
αἶψά τε καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσεν.
τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσιν
ῥηϊδίως, μαλακοῖσι παραιφάμενοι ἐπέεσσιν.
ἐρχόμενον δ' ἀνὰ ἄστυ θεὸν ὣς ἱλάσκονται
αἰδοῖ μειλιχίῃ, μέτα δὲ πρέπει ἀγρομένοισιν,
οἷά τε Μουσάων ἱερὴ δόσις ἀνθρώποισιν.

E verſu, qui ante ultimum eſt, coniicias Odyſſ. VIII. 170. unde poeta hauſit, ſic eſſe interpungendum:

οἱ δέ τ' ἐς αὐτὸν
τερπόμενοι λεύσσουσιν — ὃ δ' ἀσφαλέως ἀγορεύει —
αἰδοῖ μειλιχίῃ.

Quartum prooemium his verſibus conſtitiſſe videtur:

1 Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν,
53 τὰς ἐν Πιερίῃ Κρονίδῃ τέκε πατρὶ μιγεῖσα
Μνημοσύνη, γουνοῖσιν Ἐλευθῆρος μεδέουσα,
λησμοσύνην τε κακῶν, ἄμπαυμά τε μερμηράων.

ἐννέα γάρ οἱ νύκτας ἐμίσγετο μητίετα Ζεύς,
νόσφιν ἀπ' ἀθανάτων ἱερὸν λέχος εἰσαναβαίνων.
ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐνιαυτὸς ἔην, πέρι δ' ἔτραπον ὧραι,
μηνῶν φθινόντων, πέρι δ' ἤματα πόλλ' ἐτελέσθη,
ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κούρας ὁμόφρονας, ᾗσιν ἀοιδὴ
μέμβλεται, ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσῃς,
τυτθὸν ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφόεντος Ὀλύμπου,
ἔνθα σφιν λιπαροί τε χοροὶ καὶ δώματα καλά·
πὰρ δ' αὐτῇς Χάριτές τε καὶ Ἵμερος οἰκί' ἔχουσιν.
68 αἳ τότ' ἴσαν πρὸς Ὄλυμπον ἀγαλλόμεναι ὀπὶ καλῇ,
ἀμβροσίῃ μολπῇ· πέρι δ' ἴαχε γαῖα μέλαινα
ὑμνεύσῃς, ἐρατὸς δὲ ποδῶν ὕπο δοῦπος ὀρώρει
νισσομένων πατέρ' εἰς ὅν· ὁ δ' οὐρανῷ ἐμβασιλεύει,
αὐτὸς ἔχων βροντὴν ἠδ' αἰθαλόεντα κεραυνόν,
κάρτεϊ νικήσας πατέρα Κρόνον· εὖ δὲ ἕκαστα
ἀθανάτοις διέταξεν ὁμῶς, καὶ ἐπέφραδε τιμάς.

Quintum exordium decem priores verſus cum quarto prooemio communes habuiſſe videtur, quorum ultimi duo ſic continuabantur cum duobus aliis verſibus, quibus finiebatur prooemium:

ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κούρας ὁμόφρονας, ᾗσιν ἀοιδὴ
μέμβλεται, ἐν στήθεσσιν ἀκηδέα θυμὸν ἐχούσῃς,
ἐν θαλίῃς· ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα ὄσσαν ἱεῖσαι
μέλπονται πάντων τε νόμους καὶ ἤθεα κεδνά.

Sextum prooemium ex eodem fonte, unde quintum eſt, ductum eſſe puto. Nam in his verſibus, qui ſunt 65 — 67.

ἐρατὴν δὲ διὰ στόμα ὄσσαν ἱεῖσαι
μέλπονται πάντων τε νόμους, καὶ ἤθεα κεδνὰ
ἀθανάτων κλείουσιν, ἐπήρατον ὄσσαν ἱεῖσαι,

ultimus verſus, qui prioribus peſſime iunctus eſt, ad aliud prooemium pertinere debuit. Locus autem, quo eſt inſertus, ſuadet, ut eum verſum pro aliis verſibus, qui proxime antecedunt, ab aliquo rhapſodo poſitum exiſtimemus. Ac veri ſimile eſt, prooemium, quod in noſtra deſcriptione quartum eſt, ita ab illo poeta interpolatum fuiſſe, ut iſtum verſum cum praegreſſis hoc fere modo coniungeret:

ἣ δ' ἔτεκ' ἐννέα κούρας ὁμόφρονας, ᾗσιν ἀοιδὴ
μέμβλεται· ἐν στήθεσσι δ' ἀκηδέα θυμὸν ἔχουσαι
ἀθανάτους κλείουσιν, ἐπήρατον ὄσσαν ἱεῖσαι.

Qui verſus quum eſſet pro varia lectione adſcriptus, et quidem eo loco, quo debebat, id eſt poſt alias varias lectiones eorum verſuum, qui ab interpolatoribus mutati ſunt, librarii, ne nexus deſideraretur, ex accuſativo fecerunt genitivum. Septimum denique exordium, ex quo quatuor verſus et unius dimidiam partem habet Homericus hymnus in Muſas et Apollinem, ita conformatum erat:

1 Μουσάων Ἑλικωνιάδων ἀρχώμεθ' ἀείδειν·
94 ἐκ γάρ Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασιν ἐπὶ χθονὶ καὶ κιθαρισταί·
ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. ὁ δ' ὄλβιος, ὅντινα Μοῦσαι
φίλωνται· γλυκερή οἱ ἀπὸ στόματος ῥέει αὐδή.
εἰ γάρ τις καὶ πένθος ἔχων νεοκηδέϊ θυμῷ
ἄζηται κραδίην ἀκαχήμενος, αὐτὰρ ἀοιδὸς
Μουσάων θεράπων κλεῖα προτέρων ἀνθρώπων
ὑμνήσῃ, μάκαράς τε θεοὺς, οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν,
αἶψ' ὅγε δυσφρονέων ἐπιλήθεται, οὐδέ τι κηδέων
μέμνηται, ταχέως δὲ παρέτραπε δῶρα θεάων.

Facile intelligitur, in hac Theogoniae prooemiorum deſcriptione quaedam etiam aliter conſtitui poſſe. Ita quis dubitet, quin hi verſus, quibus in primo exordio ſatis certa ſedes eſt:

αὖτις δ' ἀνθρώπων τε γένος, κρατερῶν τε γιγάντων
ὑμνεῦσαι τέρπουσι Διὸς νόον ἐντὸς Ὀλύμπου,

etiam in fine ſecundi prooemii apte legi, et inde, verbis *τέρπουσι Διὸς* in *τέρπον Ζηνὸς* mutatis, in tertium recipi potuerint? Vtcumque eſt, illud clarum eſſe arbitror, tot fere et talia, qualia experimenti cauſſa deſcripſi, exordia fuiſſe Theogoniae. Vnde non immerito colligimus, in ipſo opere totidem rhapſodorum interpolationes occurrere. Sed mittamus Theogoniam: de qua ideo expoſui copioſius, ut ad Homeri hymnos translata diſputatio probabilitatem ab illuſtri exemplo

haberet. Ac de maioribus Homeri hymnis nullus eſt, quem alii poetae non interpolaverint: in qua re illud peropportunum accidit, quod aliquot in locis cum interpolatione etiam id, quod antiquior poeta dederat, ſervatum eſt. Coniunxerunt enim librarii diverſarum recenſionum lectiones, ut in Maximo Tyrio Ier. Marklandus, ut in Apollonio Rhodio Ruhnkenius, ut in Heſiodo alii factum docuere.

Dicatur primo de hymno Apollinis, quo duos hymnos eosque non unius aetatis contineri iam nemo dubitat. Sed horum hymnorum uterque ſuum invenit interpolatorem, ut, ſi omnes habeamus utriusque recenſionis diverſitates, quatuor hymni conſtitui poſſe videantur. Et fortaſſe, ſi quis hoc eadem audacia agat, qua tot verſus in his hymnis obelo notari ſolent, mox editores horum hymnorum de maiori volumine ſibi gratulabuntur. Equidem tutius eſſe putavi, ſi ea, quae poſterioris recenſionis eſſe viderentur, uncis includerem. Ac de duobus illis in Apollinem hymnis is, qui eſt in Apollinem Delium, tam aperta habet duplicis recenſionis indicia, ut mirum ſit, neminem in eam ſuſpicionem incidiſſe. Tria proferam, quae omnem dubitationem eximant. Verſus 78. vulgo ſic legebatur:

οἰκία ποιήσονται ἀκηδέα χήτεϊ λαῶν.

Reperta eſt varia lectio:

οἰκία ποιήσονται, ἕκαστά τε φῦλα νεπούδων.

Verſu 98. legitur:

ἧστο γὰρ ἄκρῳ Ὀλύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν.

Qui verſus quum loco illo moveri nequeat, merito displicuit ſimillimus verſus, qui uno interiecto praecedit:

ἧστο γὰρ ἐν μεγάροισι Διὸς νεφεληγερέταο.

Eum igitur verſum, quem nemo non videt variam lectionem eſſe alterius, eiecerunt critici, quorum iudicium confirmavit codex Moſcovienſis, in quo is verſus non legitur. Verſu 155. haec inveniuntur:

χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
βεβρίθει, καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην,
γηθοσύνῃ, ὅτι μιν θεὸς εἵλετο οἰκία θέσθαι
νήσων ἠπείρου τε, φίλησε δὲ κηρόθι μᾶλλον.

Quae quis reprehendat? Sed quum ſtatim ſequatur hic verſus,

ἤνθησ', ὡς ὅτε τε ῥίον οὔρεσιν ἄνθεσιν ὕλης,

cum Ruhnkenius in priore epiſtolarum criticarum editione eiiciendum cenſebat. Qui in altera editione, quum in codd. Pariſienſibus et Moſcovienſi eum locum tribus verſibus omiſſis ſic legi vidiſſet,

χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
ἤνθησ', ὡς ὅτε τε ῥίον οὔρεσιν ἄνθεσιν ὕλης,

mutavit ſententiam, et damnatis verſibus, quos ante probaverat, genuinum eſſe ſtatuit eum, quem prius putaverat ſpurium eſſe. At quid aliud hic quoque locus, quam variam lectionem exhibet? Quae lectionis varietates quum non ſint ex eo genere, quod librariis imputari poſſit, planiſſime indicant alius poetae manum, qui pro ſuo arbitrio illum hymnum interpolaverit. Quid vero, ſi etiam cauſſa, quare id factum ſit, idonea, certe hoc in hymno, afferri poteſt? Homerus ille, qui hymnum fecit illum, cuius teſtimonio utitur Thucydides, quum natales Apollinis ceciniſſet, puellas alloquitur, quae in Delo inſula certamine muſico celebrabant Apollinem, ſimulque ſui iniicit mentionem, quem caecum eſſe et in Chio inſula habitare dicit. Clariſſimi vatis nobile carmen canebant etiam alii rhapſodi, et canebant aliis in Graeciae urbibus, canebant etiam poetae neque in inſula Chio habitantes, neque oculorum uſu privati. Hos ſponte patet illa, quae ad puellas Deliacas ſpectant, pariterque caeci vatis commemorationem omittere debuiſſe. Nec mirum eſt, ſi quis rhapſodus ſemel ita hunc hymnum interpolaret, hic illic etiam alia fuiſſe, quae ei mutanda viderentur. Haec ubique inveniri non poſſunt; poſſunt vero ibi, ubi vel cauſſa patet, vel eadem temere repetuntur, vel res aliena affertur, vel dictionis genus aliud eſt,

vel denique ordo et nexus partium, qui est epicae poeseos proprius, negligitur. Horum quaedam in hoc hymno, alia in aliis videbimus. Atque hymnus in Apollinem Delium, qualis a caeco illo vate factus est, hos versus complectebatur, quantum quidem nunc iudicare licet: nam aliorum codicum lectiones fortasse olim hic illic alia docebunt: v. 1—13. 19. 25—58. 61—72. 74—95. 97—135. 139-178. Idem hymnus post interpolatoris operam ex his versibus constabat: 1—13. 19—56. 59—71. 73—95. 97. 96. 99—138. quo versu finiebatur. Persequar haec sigillatim. Primo uterque hymnus carebat his versibus, qui sunt 14—18.

χαῖρε μάκαιρ', ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,
κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον,
ἀγχοτάτω Φοίνικος, ἐπ' Ἰνώποιο ῥεέθροις.

Qui versus etsi cum praecedentibus,

χαίρει δέ τε πότνια Λητώ,
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν,

satis commode cohaerent, nullo pacto tamen inferri patiuntur, quod eos statim sequitur:

πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω, πάντως εὔυμνον ἐόντα;

Idque viderunt etiam alii critici: quamquam caussam, quare hic isti versus legantur, nimis infir-

mam afferunt, adſcriptos eſſe ab aliquo propter praegreſſum χαίρει. Vnde venerint, infra dicam: hic ſatis eſt eos ut alienos reieciſſe. Sequuntur v. 20—24.

πάντη γάρ τοι, Φοῖβε, νόμος μεμέληται ἀοιδῆς,
ἠμὲν ἀν' ἤπειρον πορτιτρόφον, ἠδ' ἀνὰ νήσους.
πᾶσαι δὲ σκοπιαί τοι ἅδον καὶ πρώονες ἄκροι
ὑψηλῶν ὀρέων, ποταμοί θ' ἅλαδε προρέοντες,
ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι, λιμένες τε θαλάσσης.

Hos quoque verſus iam alii damnarunt, non modo quod duo eorum etiam infra v. 144. 145. legantur, ſed etiam quod vulgatam lectionem νόμος βεβλήαται ᾠδῆς emendare non poſſent, et, quis credat? quod terra continens inepte dicatur πορτιτρόφος, quum id quadret etiam in inſulas. Tantum ex his verum eſt, repetitionem illam duorum verſuum non habere, quo placeat. Sed addi poterant graviora, quum omnem locum nonnihil ab ſimplicitate antiquioris poetae abhorrere, tum maxime ea verba, quae ſunt in primo verſu. Quod ſi haec tribuimus recentiori recenſioni, uterque poeta ſe digne loquetur, neutri autem repetitio poterit vitio verti, quandoquidem in recentiori conformatione huius hymni omiſſum videbimus eum locum, in quo iſti duo verſus redeunt.

Alius locus, in quo interpolationem deprehendiſſe mihi videor, eſt v. 56. Ibi primo haec leguntur:

αἰ δέ κ' Ἀπόλλωνος ἑκαέργου νηὸν ἔχησθα,
ἄνθρωποί τοι πάντες ἀγινήσουσ' ἑκατόμβας,
ἐνθάδ' ἀγειρόμενοι· κνίσση δέ τοι ἄσπετος αἰεί.

Quae verba quis dubitet quin a primo huius hymni ſcriptore proficiſci potuerint? Sed ſequuntur haec:

δηρὸν ἄναξ εἰ βόσκοις, θεοί κέ σ' ἔχωσιν
χειρὸς ἀπ' ἀλλοτρίης, ἐπεὶ οὔ τοι πῖαρ ὕπ' οὖδας.

Priorem verſum turpiter mutavit H. Stephanus:

δηρὸν ἄνακτ' εἰ βόσκοις, οἵ τε θεοί κέ σ' ἔχωσιν.

Ruhnkenio is verſus ſupplementum eſſe recentioris grammatici videbatur. Quin fuit etiam, qui verſum, quem non intelligere ſe fateretur, prorſus omitteret. Vnus Pariſienſium codicum habet *βόσκεις*. Vnde facile colligi poteſt, *εἰ*, quod ante *βόσκοις* legitur, e verſuum intervallis irrepſiſſe, q um ut varia lectio adſcriptum eſſet ultimae ſyllabae verbi *βόσκοις*. Hoc ſi quis teneat, ſimulque nominativum *ἄναξ*, malas caeſuras, verſum mutilum, ſenſum denique, qui in eo eſſe poſſit, conſideret, vix puto dubitabit, quin ita corrigi debeat:

δηρὸν ἄναξ βόσκοι σε, θεοὶ δέ κε σ' αἰὲν ἔχωσιν.

Qui verſus quum propterea, quod ſyllaba in conſonantem terminata ante nomen *ἄναξ* eſt, non videatur ab illo poeta factus eſſe, qui primus hunc hymnum condidit: veri ſimillimum eſt, locum ab interpolatore ita eſſe conſtitutum:

αἰ δέ κ' Ἀπόλλωνος ἑκαέργου νηὸν ἔχησθα,
δηρὸν ἄναξ βόσκοι σε, θεοὶ δέ κέ σ' αἰὲν ἔχωσιν
χειρὸς ἀπ' ἀλλοτρίης, ἐπεὶ οὔ τοι πῖαρ ὕπ' οὖδας.

Proxime hunc locum excipit verſus 78. cuius ſupra iam facta eſt mentio. In eo vulgata lectio, quae ſimplicior eſt,

οἰκία ποιήσονται ἀκηδέα, χήτεϊ λαῶν,

antiquioris poetae eſt; interpolatori debetur altera, quae magis ab Homerica oratione recedit:

οἰκία ποιήσονται, ἕκαστά τε φῦλα νεπούδων.

Nec maiorem dubitationem habet verſus 96.

ἧστο γὰρ ἐν μεγάροισι Διὸς νεφεληγερέταο,

qui quum aperte varia lectio ſit eorum, quae v. 98. leguntur,

ἧστο γὰρ ἄκρῳ Ὀλύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν,

alteruter ab interpolatore factus ſit neceſſe eſt. De utro enim ita ſtatuamus, prorſus incertum eſt: quamquam uncis includi debuit is, qui non eo loco, quo debebat, legitur.

Denique paucis dicendum eſt de verſibus 156–159. de quibus quum iam ſupra diſputatum ſit, nunc illud tantum quaeram, utrum verſus 156–158. an 159. antiquioris poetae ſit. Codicum quidem auctoritas, qui verſus 156–158. omittunt, non eam vim habet, ut propterea interpolatori adſcribi debeant. Nam iidem codices v. 78. interpolatoris verba verbis antiquioris poe-

tae praetulerunt. Neque oratio aut in his verſibus, aut in v. 139. quidquam habet, quod aetatem arguat recentiorem. Non dubitandum tamen puto, quin antiqui poetae haec ſint:

χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
ἤνθησ', ὡς ὅτε τε ῥίον οὔρεος ἄνθεσιν ὕλης.

Nam hic quidem poeta recte ſic cecinit, quippe ſtatim alia in laudem Apollinis additurus. Interpolator vero, qui illa, quae ſequuntur, quemadmodum ſupra oſtendi, omittere debebat, non potuit non intelligere, ſi florentem Deli ſtatum uno verſu deſcriberet, finem hymni nimis ieiunum atque exilem futurum eſſe. Itaque pleniore uſus eſt et graviore peroratione:

χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
βεβρίθει, καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην,
γηθοσύνη, ὅτι μιν θεὸς εἵλετο οἰκία θέσθαι
νήσων ἠπείρου τε, φίλησε δὲ κηρόθι μᾶλλον.

Progredior ad hymnum Apollinis alterum, in quo ſtatim hoc mirabile eſt, quod is hymnus initio caret. Nullo enim pacto vetus poeta ſic ordiri potuit:

ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην καὶ Μηονίην ἐρατεινήν,
καὶ Μίλητον ἔχεις, ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν·
αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις.

Quod exordium qui corrigendo emollire voluerunt, nae illi parum intellexerunt, de nihilo nihil fieri poſſe. At fortaſſe caſu interiit exordi-

um? Potuisse quis neget? Factum tamen esse propterea dubites, quod hic hymnus in omnibus antiquis libris cum priori hymno continuatur, ut qui pars eius sit. Accedit quod in priori hymno quinque versus sunt, (dico autem versus 14-18.) qui quum ibi locum non habeant, suspicionem certe movent, fieri posse, ut ad illum alterum hymnum referendi sint. Et, nisi fallor, ita est. Ostendi supra, librarios, ne eosdem versus saepius scribere necesse haberent, plura carmina in unum confudisse. Ita fieri non potuit, quin ea, quibus illa carmina discreparent, aut in margine adnotarentur, aut ut pars contextus nunc apto loco insererentur, nunc etiam non satis apto. Hic quidem non est, quod conqueramur de loci incommoditate. Nam, si recte coniicio, librarius is, a quo hymni Homerici sic, ut eos nunc habemus, primum scripti sunt, hymnos in Apollinem ante oculos habebat numero quatuor: quorum omnium quum, paucis mutatis, idem esset exordium, laboris compendium facturus, semel illud exordium scripsit, nihil praetermittens eorum, quae in uno exordio addita videret, quum in aliis deessent. Iam quum ad finem hymni in Apollinem Delium pervenisset, cui medio nusquam inserere poterat longum illum Pythii Apollinis hymnum, sive, ut rectius dicam, duos hymnos, e quibus hic conflatus est: quid aliud quam

ſubiiceret illos hymnos, omiſſo, quod iam ſupra ſcripſerat, exordio? Credibile eſt enim, poetas illos, qui hos hymnos fecerunt, iisdem verſibus orſos eſſe, quos Homeri nomine nobilitatos eſſe ſcirent. Haec ſi veri ſimilia ſunt, licebit aliquo experimento ostendere, quale potuerit prooemium eſſe hymni in Apollinem Pythium.

1 Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο,
ὅν τε θεοὶ κατὰ δῶμα Διὸς τρομέουσιν ἰόντα,
καί ῥά τ᾽ ἀναΐσσουσιν ἐπισχεδὸν ἐρχομένοιο
12 πάντες ἀφ᾽ ἑδράων· χαίρει δέ τε πότνια Λητώ,
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν.
Χαῖρε μάκαιρ᾽, ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνά τ᾽ ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,
κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον
ἀγχοτάτω φοίνικος, ἐπ᾽ Ἰνώποιο ῥεέθροις·
29 ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσιν θνητοῖσιν ἀνάσσεις,
179 ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην καὶ Μῃονίην ἐρατεινὴν,
καὶ Μίλητον ἔχεις.

Hac ratione omnia, quae antea difficultatem habebant, percommode expediuntur. Habet hymnus exordium; patet, cur id exordium omiſſum fuerit; clarum eſt, quomodo hic hymnus pro parte praecedentis hymni haberi potuerit; apparet denique, unde venerint prioris hymni verſus 14–18. et quare illum in locum fuerint recepti. Haec

quidem de prooemio dicta ſunto, quod ſuſpicor commune fuiſſe duorum hymnorum, e quibus hic hymnus, quem Apollini Pythio inſcribunt, compoſitus eſt.

Sed conſideremus nunc illas rationes, quibus hoc effici videatur, hymnum iſtum e duorum coniunctione hymnorum exſtitiſſe. Ac narratio illa, quae eſt de Tilphuſſa, de Pythone ſerpente, de oraculo Criſſae condito, tot laborat tantisque incommodis, ut, qui diligenti Homeri atque epicorum lectione ſenſum ſuum iudiciumque acuerit, non poſſit non ubique offendere. Non quaeram, cur omnino Tilphuſſae mentio fiat, eaque tam copioſa atque explicata. Nam hoc quidem video excuſari poſſe. Sed ſi erat de Tilphuſſa dicendum, id aliter inſtituendum fuiſſe planiſſime intelligitur. Primum iam illud valde mirum eſt, quod Apollo, quibus verbis Tilphuſſam compellat v. 247. ſeqq. iisdem utitur etiam v. 287. ſeqq. ubi Criſſae ſe velle oraculum condere ſignificat. Sed hoc levius eſt, et ferri certe poteſt. Gravius eſt, immo omnem excuſationem ſpernit illud, quod neque ordinem neque nexum habet narratio. Tilphuſſa Apollinem iubet oraculum Criſſam transferre, ſe ipſam, ſi vicinum habeat oraculum, celebritate eius obſcuratum iri metuens. Condit Apollo templum Criſſae, ubi quum Pythonem ſerpentem interemiſſet, a Tilphuſſa ſe deceptum

intelligit. Itaque reverſus ſaxis eam obruit. Cur vero non prius ſe fraude circumventum ſenſit? Nimirum propterea, quod locum, in quo templum condere ſuaſerat Tilphuſſa, neque amoenum et formidabili ſerpente infeſtum eſſe videt. Bene eſſet, ſi hoc usquam poeta ſignificaſſet. At ille tam id obſcure indicavit, ut vix coniectando aſſequamur. Nam quum maxime ſerpens iſte faceret, ut Criſſa non eſſet apta condendo oraculo, commemoratio iſtius ſerpentis, ad quem maxime ſpectabat Tilphuſſae fraus, non poterat obiter et quaſi in transcurſu iniici. Atqui poeta eam narrationem ſic incipit v. 300.

ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίῤῥοος, ἔνθα δράκαιναν
κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο.

Vnde quid aliud colligas, quam de re ſermonem eſſe minime neceſſaria? Quale initium iſtius digreſſionis, talis etiam finis. Nam hic quoque obiter tantum refert, interfectum eſſe ſerpentem ab Apolline, v. 356:

ὃς τῇ γ' ἀντιάσειε, φέρεσκε μιν αἴσιμον ἦμαρ,
πρίν γέ οἱ ἰὸν ἐφῆκεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων.

Quum deinde alia quaedam, non magis ad rem facientia ſubieciſſet, pergit v. 375:

καὶ τότ' ἄρ' ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
οὕνεκά μιν κρήνη καλλίῤῥοος ἐξαπάφησεν.

Ex quibus verbis, quae temporis habent, non rationis ſignificationem, quis poteſt colligere, pro-

pterea iraſci Apollinem, quod ad locum a ſerpente obſeſſum miſſus fuerit? Omnino verſus 375–387. quibus Apollo Tilphuſſam puniviſſe narratur, valde inepto loco leguntur, quod, quae in his verſibus de Tilphuſſa dicuntur, non modo cum caeteris non ſunt nexa, ſed prorſus etiam praeter exſpectationem veniunt. Nam ne verbum quidem in ſuperioribus verſibus eſt, ex quo quis coniiciat, Tilphuſſae iterum factum iri mentionem. Accedunt duo alia, unum, quod qui v. 367. *Τυφωεὺς* vocatur, is antea v. 306. et 352. *Τυφάων* dicitur; alterum, quod verſu 355. aut nullo cum praecedentibus nexu, aut peſſimo, ea repetuntur, quae paene iisdem verbis v. 302. dicta fuerant. Nam quis haec apte nexa eſſe iudicabit:

*αὐτίκα τόνδε λαβοῦσα βοῶπις πότνια Ἥρη,*
*δῶκεν ἔπειτα φέρουσα κακῷ κακόν· ἡ δ᾽ ὑπέδεκτο.*
*ἣ κακὰ πόλλ᾽ ἔρδεσκε κατὰ κλυτὰ φῦλ᾽ ἀνθρώπων.*

et quis non ſentiet, ultimum verſum hoc magis ineptum eſſe, quod v. 302. eadem his verbis dicantur:

*ἣ κακὰ πολλὰ*
*ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί, πολλὰ μὲν αὐτούς,*
*πολλὰ δὲ μῆλα ταναύποδ᾽· ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν.*

Has difficultates omnes ſeparandis, quae diverſorum poetarum ſunt, facillime poterimus tollere.

Et fuerunt, ſi quid video, hymni in Apollinem, e quibus hic hymnus compoſitus eſt, duo, alter in Pythium Apollinem, alter in Tilphuſſium. Horum is, qui Pythii Apollinis eſt, videtur fuiſſe antiquior. In eo nulla fuit Thilphuſſae mentio, ſed poſt v. 243.

ἔνθεν ἄῤ εἰς Ἁλίαρτον ἀφίκεο ποιήεντα,

ſtatim ſubiiciebatur verſus 278. cum ſequentibus:

ἶξες δ' ἐς Φλεγύων ἀνδρῶν πόλιν ὑβριστάων.

Nam ne quis forte etiam verſum 277.

ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες ἑκατηβόλ' Ἄπολλων,

huic hymno tribuat, illud impedit, quod hic verſus non niſi poſt digreſſionem aliquam a deſcriptione itineris ſubiicitur. Porro Pythonis ſerpentis commemoratio, ut obiter tantum inſerta, quo urbis nomen inde ductum eſſe intelligeretur, brevis erat et plane conſilio poetae accommodata. Cohaerebant enim verſus 301. et 355.

ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίῤῥοος, ἔνθα δράκαιναν
κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,
ἣ κακὰ πόλλ' ἔρδεσκε κατὰ κλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων.

Clarum eſt, recte haec obiter narrari, quum illud quoque, cuius cauſſa narrantur, nomen urbis Pythonis, in transcurſu commemoretur; recte etiam ob eamdem rationem obiter referri caedem draconis,

πρίν γέ οἱ ἰὸν ἐφῆκεν ἄναξ·

porro inconstantiam in nomine Typhonis tolli, quum servato loco, in quo is Τυφωεὺς vocatur, removeantur illa, in quibus occurrit nomen Τυφάων; denique versum 355. qui et male cohaerebat cum praecedentibus, et eadem continet, quae v. 302. leguntur, neque apto nexu destitui, neque inutili repetitione laborare.

Quum Tilphussae nulla sit in hoc carmine mentio, sponte intelligitur, versus 375 — 387. quos sine nexu et praeter exspectationem hic legi observavimus, eiiciendos esse. Quo facto aptissime cohaerent v. 374. et 388.

371 τὴν δ' αὐτοῦ κατέπυσ' ἱερὸν μένος ἠελίοιο·
ἐξ οὗ νῦν Πυθὼ κικλήσκεται· οἱ δὲ ἄνακτα
Πύθιον ἀγκαλέουσιν ἐπώνυμον, οὕνεκα κεῖθι
αὐτοῦ πῦσε πέλωρ μένος ὀξέος ἠελίοιο.
388 καὶ τότε δὴ κατὰ θυμὸν ἐφράζετο Φοῖβος Ἀπόλλων,
οὕστινας ἀνθρώπους ὀργίονας εἰσαγάγοιτο,
οἳ θεραπεύσονται Πυθοῖ ἐνὶ πετρηέσσῃ.

Hunc vero hymnum ante oculos habuit alius rhapsodus, qui quum pariter vellet conditum ab Apolline templum canere, antiquiorem poetam ita sibi imitandum sumpsit, ut, etsi aliam narraturus esset fabulam, multa tamen, quae in usum suum vertere posset, ex illus hymno arriperet. In his primum est exordium, quod quum iisdem verbis repetiisset, factum est, ut hymnus

eius ab librario illo, qui hos hymnos in eam formam, quam nunc habemus, redegit, cum antiquiore illo hymno coniungeretur. Sed eorum, quae illud exordium excipiunt, nescio an aliqua pars huic poetae debeatur, neque in antiquiore hymno fuerit. Certe quum recentior poeta fabulis inserendis videatur delectatus esse, non sine quadam veri specie versus 182 — 206. 208 — 213. 231 — 239. ab antiquiore hymno absuisse coniicias. Quamquam haec nimis incerta sunt. Ideoque uncos omisi, quibus in hac editione ea inclusa sunt, quae recentioris esse recensionis videbantur. Clarior res est in his, in quibus consilium poetae elucet. Nam quum antiquior ille Pythium Apollinem, et oraculum Crissae conditum cecinisset, hic Apollinem Tilphussium, templumque eius ornare hymno instituit. Itaque servata priore veteris hymni parte usque ad v. 243. in quo mentio fit Haliarti, ad vicinum fontem Tilphussae Apollinem facit accedere: quae res exponitur usque ad v. 285. in quo loco quae sunt ultima, (v. 278 seqq.) rursus ex antiquiore hymno adscita sunt. A Tilphussa enim Crissam petere iussus Apollo eadem loca adit, ad quae in antiquiore hymno statim ab Haliarto venisse dicebatur. Sed quae in priori carmine v. 285 — 300. de templo Crissae condito referuntur, ea quum a consilio recentioris poetae aliena essent, hic omi-

sit, iunctis, ut videtur, statim versibus 285. et 302. quod fieri potuit hoc modo:

κοίλη δ' ὑποδέδρομε βῆσσα,
τρηχεῖ'· ἔνθα δ' ἄναξ ἑκατηβόλος εὗρε δρά-
καιναν,
ζατρεφέα, μεγάλην, τέρας ἄγριον.

Quoniam enim, ut supra observavimus, fraus Tilphussae in eo erat posita, quod Apollinem ad locum dracone formidabilem miserat, non potuit obiter dici, ut in priore hymno, ἔνθα δράκαιναν κτεῖνεν ἄναξ. Ita ergo quum poeta ad Pythonem serpentem pervenisset, eaque opportunitate originem Typhoei, quem draco iste nutriverat, multis esset persequutus, hoc fere modo, si coniecturae locus est, in viam rediit, servatis quibusdam, aut leviter mutatis prioris hymni versibus:

355 αὐτίκα τόνδε λαβοῦσα βοῶπις πότνια Ἥρη,
δῶκεν ἔπειτα φέρουσα κακῷ κακόν· ἡ δ' ὑπέδεκτο.
357 τῇ ῥα τότ' ἰὸν ἐφῆκεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων
καρτερόν· ἡ δ' ὀδύνῃσιν ἐρεχθομένη χαλεπῇσιν
κεῖτο μέγ' ἀσθμαίνουσα, κυλινδομένη κατὰ
χῶρον.
375 καὶ τότ' ἄρ' ἔγνω ᾗσιν ἐνὶ φρεσὶ Φοῖβος Ἀπόλλων,
οὕνεκά μιν κρήνη καλλίῤῥοος ἐξαπάφησεν.

Finitur hymnus versu 387. Quam commode haec omnia cohaereant, non eget demonstratione: tolli autem hac ratione omnia, quae dura, inconcinna,

insolentia esse supra observavimus, neminem latebit, qui singula volet perpendere.

Multo magis impedita disputatio est de hymno Mercurii, quem uno ore omnes fatentur esse corruptissimum. In ipso ingressu eorum, quae de hoc hymno dicturi sumus, peropportune occurrit brevior ille in Mercurium hymnus, ex quo cognosci possit, maioris hymni eam fuisse claritatem, quae poetas facile ad imitationem atque interpolationem invitaret. Brevior iste hymnus, qui ex undecim versibus constat, octo priores versus communes habet cum exordio maioris hymni, nisi quod pauca verba mutata sunt. Ac veri simillimum est, duos fuisse poetas, qui maioris hymni exordio tamquam prooemio in Mercurium uterentur. Nam qui sunt in fine brevioris hymni versus,

*καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱέ·*
*σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον.*
*χαῖρ' Ἑρμῆ χαριδῶτα, διάκτορε, δῶτορ ἐάων,*

horum tertium quid aliud quam variam lectionem primi esse credemus, ita ut duo hymni, qui uno tantum versu differrent, compendii caussa semel scripti fuerint, varia lectione adnotata? Vt hic brevis hymnus e longiore illo ductus est, ita non mirum, si in eodem maiore hymno etiam alius brevior latet. Ac sunt in ipso maioris hymni initio quaedam, quae quum vel ab inutili repetitione

eiusdem ſententiae, vel ab interrupta orationis perpetuitate offenſionem habeant, non poſſint tamen ei poetae tribui, qui, ut infra dicetur, univerſum maiorem hymnum interpolavit. Repugnant enim huius conſilio non minus, quam illius, qui primus hunc hymnum condidit. Haec fragmenta ſi eo ordine, quo ſparſa inveniuntur in maiore hymno, colligas, ſatis bene cohaerere videbis. Ac, niſi fallor, primos tres et decem verſus maioris hymni hic hymnus complectebatur, cum quibus reliqua fragmenta ſic erant coniuncta:

10 ἀλλ᾽ ὅτε δὴ μεγάλοιο Διὸς νόος ἐξετελεῖτο,
τῇ δ᾽ ἤδη δέκατος μεὶς οὐρανῷ ἐστήρικτο,
ἔς τε φόως ἄγαγεν, ἀρίσημά τε ἔργα τέτυκτο·
17 ἠῷος γεγονὼς, μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν,
ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
τετράδι τῇ προτέρῃ, τῇ μιν τέκε πότνια Μαῖα.
25 Ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ᾽ ἀοιδόν·
111 Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήϊα πῦρ τ᾽ ἀνέδωκεν.

Quae his proxime ſuccedebant, hic omiſi, quoniam infra de his dicendum erit.

Sed ad ipſum progrediamur maiorem hymnum. In eo hymno mira diverſitate nunc ſimplex oratio eſt et ab omni inani ſtrepitu vacua, nunc arguta et nimio ornatu moleſta. Quae res quum ipſa per ſe ſuſpicionem moveat interpolationis, eodem ducunt nunc narrationis ſumma perverſitas, nunc non ferendae repetitiones, nunc

turbatus verborum nexus, nunc denique lectionis varietas admirabilis. Hanc quidem ſtatim commemorabo, ut tot lectiones, quae librariis imputari nequeunt, in unum locum congeſtae, disſentienti dubitationem eximant. Caetera enim ſigillatim ſuis quaeque locis tractanda ſunt. Igitur v. 51. pro *συμφώνους* apud Antigonum Caryſtium *θηλυτέρων* eſt; v. 65. tres codd. Pariſ. *ὦρτο* praebent pro *ἇλτο*; v. 82. codex Moſcovienſis pro *νεοθηλέος ἄγκαλον ὕλης* corruptiſſimam quidem, ſed tamen, ut videtur, ex alia lectione ortam ſcripturam habet, *νεοθηλέαν ἀγκαλωρήν*; v. 109. idem *ἐνίαλλα* pro *ἐπέλεψε*; v. 141. idem *κατέλαμπε* pro *ἐπέλαμπε*; v. 157. idem *δύςαχ'* pro *ἢ τάχ'*; v. 159. idem *φέροντα* pro *λαβόντα*; v. 164. idem *πολλὰ ἄρμενα* pro *παῦρα αἴσυλα*; v. 183. idem *μήτηρ* pro *Μαῖα*; v. 202. idem *ἴδοιμι* pro *ἴδοιτο*; v. 205. idem *πρήσσουσιν* pro *φοιτῶσιν*; v. 212. idem *μῦθον ἀκούσας* pro *Φοῖβος Ἀπόλλων*; v. 224. idem *ἔλπομαι εἶναι* pro *ἐστὶν ὁμοῖα*; v. 287. idem *μήλων* pro *κρειῶν*; v. 322. idem *αἶψα δὲ τέρθρον ἵκοντο* pro *αἶψα δ' ἵκοντο κάρηνα*; v. 349. idem *βαίνων* pro *βαίνοι*; v. 352. idem *πολὺν* pro *μέγαν*; v. 401. idem *ἐς λάϊνον ἄντρον* pro *παρὰ λάϊνον ἄντρον*; v. 403. idem *ἀπάνευθεν* pro *ἀπάτερθεν*; v. 404. idem *γαίῃ* pro *πέτρῃ*; v. 431. idem *ἅπαντες* pro *ἕκαστος*; v. 451. idem *ὕμνος* pro *οἶμος*; v. 502. idem *σμερδαλέον* pro *ἱμερόεν*; v. 503. idem

*κα' ῥα* et *κατὰ* pro *ἔνθα* et *ποτί*; v. 535. idem *διαμπερὲς* pro *Διοτρεφές*; v. 544. idem *φωνῇ τ' ἠδὲ πτερῦσι* pro *φωνῇ καὶ πτερύγεσσι*; v. 552. idem *σεμναὶ* pro vulgato *Μοῖραι*. Sunt quidem in his lectionibus aliquae, quas ex librariorum errore repeti poſſe non eſt diffitendum, ex quo genere plures etiam poterant afferri: ſed illas tamen conſideranti, quarum alia debuit origo eſſe, (et harum multo maior eſt numerus) ſimulque reputanti, paene omnes ex uno codice eſſe ductas, quid aliud quam duplex hymni recenſio olim exſtitiſſe videatur? Quamquam valde erraret, qui codicis Moſcovienſis teſtimonio ita uteretur, ut non etiam ſingulos codices per ſe interpolationem arguere crederet. Immo nullus eſt illorum quidem librorum, qui ad noſtram aetatem pervenerunt, quin ſimul utramque hymni recenſionem complectatur: ſed in iis locis, qui ſunt utriusque recenſionis communes, alteram fere ſequitur codex Moſcovienſis, alteram caeteri libri. Quare hic codex hanc affert, eamque eximiam utilitatem, ut ne locos, in quibus ultra ſcribarum errorem a vulgari lectione recedit, ab alterutra recenſione abfuiſſe exiſtimemus.

Sed videamus ſingula. De quibus quidem non poſſe ita disputari, nihil ut relinquatur dubitationis, clarum eſt. Nam quis auſit ubique antiqua ab recentioribus diſtinguere, indiciis, ut ſa-

cile aeſtimari poteſt, alibi deletis, alibi tantopere obſcuratis, ut ambiguitas iudicium eludat? Quamquam id in hoc genere commodum accidit, quod in nonnullis locis tanta orationis disſimilitudo elucet, quae nullius fugere lectoris ſenſum poſſit. Eaque interpolatorem non modo magis ornatui operam dediſſe, quam priſcum hymni ſcriptorem, ſed etiam aetate aliquanto recentiorem fuiſſe arguit. Itaque quum ille ſuis ſe ipſe verbis interdum prodat, certius etiam deprehendetur, ſi alia argumenta accedant.

Ac ſtatim ab initio valde abhorrent ab antiqui poetae ſimplicitate tot epitheta, quae v. 13-16. congeſta ſunt:

*καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα πολύτροπον, αἱμυλομήτην,*
*ληϊστῆρ', ἐλατῆρα βοῶν, ἡγήτορ' ὀνείρων,*
*νυκτὸς ὀπωπητῆρα, πυληδόκον, ὃς τάχ' ἔμελλεν*
*ἀμφανέειν κλυτὰ ἔργα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.*

Quamquam enim etiam maxime ſimplicitatis ſtudioſus poeta in loco, qualis hic eſt, non poſiturus fuiſſet unum epitheton, multo tamen minus tantam epithetorum multitudinem effudiſſet, iisque aliqua, quae ne apta quidem eſſent. Nam *ἐλατῆρα βοῶν* quum vocat Mercurium, id non, ut caetera, ad ingenium Mercurii, ſed ad ſingulare factum ſpectat: pariterque quum eum *ἡγήτορ' ὀνείρων* appellat, rem affert alienam, quia de mo-

ribus pueri explicandum erat. Quod si secundus horum versuum interpolatori reddetur, nitebit veteris poetae oratio, detracto, quod eam deformabat, inutili additamento.

Paullo post, quum spelunca egressus dicitur Mercurius, ut Apollinis boves abigeret, statim sequuturam exspectes eius rei expositionem. At longe aliud, antequam eo pervenias, narratur, citharae inventio. Et ea non solum admodum leviter cum praecedentibus copulata est, v. 22.

*ἀλλ' ὅγ' ἀναΐξας ζήτει βόας Ἀπόλλωνος,*
*οὐδὸν ὑπερβαίνων ὑψηρεφέος ἄντροιο·*
*ἔνθα χέλυν εὑρὼν ἐκτήσατο μυρίον ὄλβον·*

sed etiam pars loci, qui de testudine et cithara est, orationem habet molestam, quaesitam, omnino ab antiquiorum consuetudine valde abhorrentem. Sed haec quidem nunc mittam: consistam in hoc versu:

*ἔνθα χέλυν εὑρὼν ἐκτήσατο μυρίον ὄλβον.*

Neminem fore existimo, qui *χέλυν εὑρὼν ἐκτήσατο μυρίον ὄλβον* eleganter dici pro *χέλυν εὗρε* credat, quandoquidem ea perinepta foret elegantia, quae orationem ita conformaret, ut res primaria pro secundaria, secundaria autem pro primaria accipi deberet. Immo si subtilius in hunc locum inquirimus, ne *εὗρε* quidem satis aptum esse apparet. Nam quum de abactis a Mercurio bobus dicere coepisset poeta, debebat, si praeter

exſpectationem aliquid aliud vellet intexere, non a Mercurio digreſſionem iſtam ordiri. Habet enim aliquid perverſitatis haec ratio, quum boves quaerit Mercurius, et tamen eas non quaerit, ſed citharam facit. Ea perverſitas non potuiſſet latere poetam de antiquioribus, quorum maxime proprium erat recte cogitare. In qua re ſola, ut Reizium noſtrum, Ilgeni, dicere ſolitum meminiſti, poſita erat admirabilis illa veterum ars ſcribendi. Itaque ſi vetuſtior ille poeta citharae inventae mentionem hic fecit, eum aliquanto aliter ea de re dicere coepiſſe crediderim. Sed ſuſpicetur fortaſſe aliquis, maiorem quamdam hic factam eſſe mutationem, tum quod veri ſimile ſit, priſcum quidem poetam, quum de abactis Apollinis bobus dicere inſtituiſſet, citharae aut obiter facturum fuiſſe mentionem, aut alio certe loco, quam ubi id, de quo dicere promiſiſſet, nondum eſſet exorſus; tum vero etiam quod aliter rem referat Apollodorus, cuius narratio ita cum hoc hymno conſentit, ut is ex hoc ipſo fonte hauſiſſe videatur. Audiamus ipſum Apollodorum III. 10, 2. *Μαῖα μὲν οὖν ἡ πρεσβυτάτη Διῒ συνελθοῦσα ἐν ἄντρῳ τῆς Κυλλήνης, Ἑρμῆν τίκτει. οὗτος ἐν πρώτοις ἐπὶ τοῦ λίκνου κείμενος, ἐκδύς, εἰς Πιερίαν παραγίνεται, καὶ κλέπτει βόας, ἃς ἔνεμεν Ἀπόλλων. ἵνα δὲ μὴ φωραθείη ὑπὸ τῶν ἰχνῶν, ὑποδήματα τοῖς ποσὶ περιέθηκε, καὶ κομίσας εἰς Πύ-*

λον, τὰς μὲν λοιπὰς εἰς σπήλαιον ἀπέκρυψε, δύο δὲ καταθύσας, τὰς μὲν βύρσας πέτραις καθήλωσε, τῶν δὲ κρεῶν τὰ μὲν κατηνάλωσεν ἑψήσας, τὰ δὲ κατέκαυσε. καὶ ταχέως εἰς Κυλλήνην ᾤχετο. καὶ εὑρίσκει πρὸ τοῦ ἄντρου νεμομένην χελώνην. ταύτην ἐκκαθάρας, εἰς τὸ κύτος χορδὰς ἐντείνας ἐξ ὧν ἔθυσε βοῶν, καὶ ἐργασάμενος λύραν εὗρε καὶ πλῆκτρον. Ἀπόλλων δὲ τὰς βόας ζητῶν, εἰς Πύλον ἀφικνεῖται, καὶ τοὺς κατοικοῦντας ἀνέκρινεν. οἱ δὲ ἰδεῖν μὲν παῖδα ἐλαύνοντα ἔφασκον, οὐκ ἔχειν δὲ εἰπεῖν ποῖ ποτὲ ἠλάθησαν, διὰ τὸ μὴ εὑρεῖν ἴχνος δύνασθαι. μαθὼν δὲ ἐκ τῆς μαντικῆς τὸν κεκλοφότα, πρὸς Μαῖαν ἐς Κυλλήνην παραγίνεται, καὶ τὸν Ἑρμῆν αἰτιᾶτο. ἡ δὲ ἐπέδειξεν αὐτὸν ἐν τοῖς σπαργάνοις. Ἀπόλλων δὲ αὐτὸν πρὸς Δία κομίσας, τὰς βόας ἀπήτει. Διὸς δὲ κελεύοντος ἀποδοῦναι, ἠρνεῖτο. μὴ πείθων δέ, ἄγει τὸν Ἀπόλλωνα εἰς Πύλον, καὶ τὰς βόας ἀποδίδωσιν. ἀκούσας δὲ τῆς λύρας ὁ Ἀπόλλων ἀντιδίδωσι τὰς βόας. Ἑρμῆς δὲ ταύτας νέμων, σύριγγα πάλιν πηξάμενος ἐσύριζεν. Ἀπόλλων δὲ καὶ ταύτην βουλόμενος λαβεῖν, τὴν χρυσῆν ῥάβδον ἐδίδου, ἣν ἐκέκτητο βουκολῶν. ὁ δὲ καὶ ταύτην λαβεῖν ἀντὶ τῆς σύριγγος ἤθελε, καὶ τὴν μαντικὴν ἐπελθεῖν· καὶ δούς, διδάσκεται τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικήν. Ζεὺς δὲ αὐτὸν κήρυκα ἑαυτοῦ καὶ θεῶν ὑποχθονίων τίθησι. Manifeſtum eſt, hanc Apollodori narrationem ita cum Homerico hymno convenire, ut non modo omnia, quae hic hymnus, ſed etiam, praeter ſolam citharae inven-

tionem, eodem ordine, et paene iisdem verbis relata contineat. Quod quis credat casu factum esse? Nec multum obstat, quod quaedam paullo aliter facta scribit, quam in hymno narrantur, quum ea aut in hymno, qualem Apollodorus habuit, sic, ut ipse tradidit, exponi, aut ab Apollodoro ita, ut nunc in hymno leguntur, commemorari potuerint. Apollodorum quidem singulis paginis interpolatum esse constat: et in his quoque, quae de Mercurio refert, id factum arguunt codices. Atque omnino Apollodori libros in antiquis codicibus Italicis ita scriptos inveniri accepimus, ut, si cum editionibus isti codices comparentur, scriptorem hunc vix sui similem habituri simus. Quo magis in tali loco, qualis hic est, universum narrationis ordinem modumque, non illa et pauca et levia, in quibus dissentit hymni scriptor, spectare debemus. Atqui Apollodorus (redeo enim illuc, unde digressus sum) citharam inventam esse scribit, quum Mercurius a furto et caede boum redux antrum ingredi vellet. Non diffiteor, me aliquando paene adductum fuisse, ut in veteri Homerico hymno rem eodem modo, quo apud Apollodorum, narratam fuisse crederem. Movebat me auctoritas Apollodori; movebat locus perquam incommodus, quo nunc de cithara exponitur; movebat omissionis suspicio, qua vix liberari potest is locus, in quo, Apollo-

dori indicio, de citharae inventione dicendum erat, v. 152. 153. Videbam etiam elegantiſſime continuari ea, quae de profectione Mercurii ad furandas boves narrantur, ſi omitteretur citharae mentio:

22 ἀλλ' ὅγ' ἀναΐξας ζήτει βόας Ἀπόλλωνος
οὐδὸν ὑπερβαίνων ὑψηρεφέος ἄντροιο,
66 ὁρμαίνων δόλον αἰπὺν ἐνὶ φρεσίν, οἷά τε φῶτες
φηληταὶ διέπουσι μελαίνης νυκτὸς ἐν ὥρῃ.
ἠέλιος μὲν ἔδυνε.

Putabam igitur interpolatorem, quod ei Mercurius, quo certius falleret Apollinem, ſtatim abactis bobus, debuiſſe cunas repetere viſus eſſet, narrationem de cithara, ex illo loco ſubmotam, in principio hymni collocaſſe. Et intelligebam ita facile rationem reddi poſſe, quare, quum alibi veteris poetae verſus, quos damnaverat interpolator, a librariis ſervati eſſent, hic plane omiſſum eſſet antiquum narrationis iſtius initium: neque enim adſcribi potuiſſe, niſi omni carminis perpetuitate interrupta. Revocatus tamen ab hac ſententia ſum eo, quod quum omnia, quae aliter narrat Apollodorus, tum haec quoque, quae de cithara refert, minus viderem, quam in hymno, ſimplicia eſſe. Simplicitas enim index eſt antiquitatis. Apollodorus igitur chordas factas eſſe ſcribit e corio boum, quas Mercurius mactaſſet. Idem plectri inventionem addit. Hymni ſcriptor,

nihil de plectro dicens, corium bubulum in cithara expansum refert, chordas autem agninas fuisse narrat, parum sollicitus, unde has res Mercurius acceperit. Clarum est, quae hic rudia sunt et temere dicta, apud Apollodorum emendata et consilio quodam perpolita legi. Quamobrem ita nunc sentio, Apollodorum, quamvis hunc hymnum praecipue respiceret, tamen etiam alios auctores adhibuisse. Et quum illa Apollodori narratio aperte epicum quemdam colorem habeat, quumque ille aliorum poetarum, ut Alcaei, commenta omiserit, paene suspiceris, aliam quamdam Homerici hymni interpolationem exstitisse, quam quae in nostris codicibus est, eaque usum esse Apollodorum. Quae suspicio nescio an alio quoque huius hymni loco commendetur. De eo quidem loco infra disputabitur.

Sed redeo in viam. Atque in ipso illo loco, qui est de reperta testudine, maxime Mercurii oratio v. 30 - 38. non eam simplicitatem atque elegantiam redolet, qua aliae huius hymni partes conspicuae sunt. In qua oratione si nihil aliud, certe Hesiodeus versus,

*οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν,*

malae interpolatoris sedulitati debetur. Paullo post apertiora mihi videor interpolationis vestigia reperisse in versibus 43 - 46.

*ὡς δ' ὁπότ' ὠκὺ νόημα διὰ στέρνοιο περήσει*

ἀνέρος, ὅν τε θαμειαὶ ἐπιστρωφῶσι μέριμναι,
ἂς ὅτε δινηθῶσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαί,
ὣς ἅμ' ἔπος τε καὶ ἔργον ἐμήδετο κύδιμος Ἑρμῆς.

Ἂς ὅτε codd. Pariſ. Vulgo αἳ ὅτε, utrumque vitioſe pro ὡς ὅτε. Vix dubitem, quin hic duorum poetarum verſus coniuncti ſint, quorum antiquior ſcripſerit haec, quae ſunt venuſtiſſime dicta:

ὡς δ' ὁπότ' ὠκὺ νόημα διὰ στέρνοιο περήσει
ἀνέρος, ὅν τε θαμειαὶ ἐπιστρωφῶσι μέριμναι,
ὣς ἅμ' ἔπος τε καὶ ἔργον ἐμήδετο κύδιμος Ἑρμῆς.

alter autem hoc modo:

ὡς δ' ὅτε δινηθῶσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαί,
ὣς ἅμ' ἔπος τε καὶ ἔργον ἐμήδετο κύδιμος Ἑρμῆς.

Sed perſequamur alios huius hymni locos, qui ab interpolatione labem contraxerunt. Ac non longe ab eo loco, quem modo tetigi, impeditiſſimi verſus leguntur:

πλανοδίας δ' ἤλαυνε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον
ἴχνη ἀποστρέψας· δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης,
ἀντία ποιήσας, ὁπλὰς τὰς πρόσθεν ὄπισθεν,
τὰς δ' ὄπιθεν πρόσθεν, κατὰ δ' ἔμπαλιν αὐτὸς ἔβαινεν.
σάνδαλα δ' αὐτίκ' ἔριψεν ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσιν.
ἄφραστ' ἠδ' ἀνόητα διέπλεκε θαυματὰ ἔργα,
συμμίσγων μυρίκας καὶ μυρσινοειδέας ὄζους.

τᾶν τότε συνδήσας νεοθηλέος ἄγκαλον ὕλης,
ἀβλαβέως ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κοῦφα
αὐτοῖσιν πετάλοισι, τὰ κύδιμος Ἀργειφόντης
ἔσπασε Πιερίηθεν, ὁδοιπορίην ἀλεείνων,
οἷά τ' ἐπειγόμενος δολιχὴν ὁδόν, αὐτοπρεπὴς ὥς.

In his etsi quaedam manifesto corrupta sunt, alia tamen, quantumvis sensu commodo nexuque destituta, emendationem non videntur admittere. Neque a variis lectionibus quidquam auxilii est, quae et paucae sunt et vitiosae: νεοθηλέαν ἀγκαλωρήν, quod v. 82. codex Moscoviensis, et αὐτοτρεπήσας, quod v. 86. idem codex cum tribus Parisinis suppeditat. Sunt autem, quae offensionem habeant, plurima; et in oratione quidem haec: primum, quod v. 76. verba δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης, quae novum Mercurii artificium commemoratum iri indicant, cum iis coniuncta sunt, quibus id, quod iam dictum erat, explicatur. Deinde hoc ipsum, quod versibus 77. 78. repetuntur, quae his ἴχνη ἀποστρέψας, continentur. Tum similis repetitio, quandoquidem v. 79. ubi re ipsa cogente recte videtur ἔρραψεν corrigi, vix aliud significatur, quam quod sequentibus versibus expressum est copiosius. Porro quod v. 80. non est cum praecedentibus nexus. Denique quod non apte nomen Mercurii positum est in membro secundario. Accedunt ad haec difficultates quaedam in re ipsa, quae hic narratur, prae-

ſertim ſi ad Apollodorum reſpiciamus. Is quum ita ſcribat: ἵνα δὲ μὴ φωραθείη ὑπὸ τῶν ἰχνῶν, ὑποδήματα τοῖς ποσὶ περιέθηκε, καὶ κομίσας εἰς Πύλον, et quae ſequuntur; ac paullo poſt: οἱ δὲ ἰδεῖν μὲν παῖδα ἐλαύνοντα ἔφασκον, οὐκ ἔχειν δὲ εἰπεῖν, ποῖ ποτὲ ἠλάθησαν, διὰ τὸ μὴ εὑρεῖν ἴχνος δύνασθαι: manifeſto eſt alium auctorem ſequutus. Atqui merito mireris, iſtum auctorem debere hymni ſcriptore antiquiorem videri. Nam quo quaeque res refertur ſimplicius, eo maiorem habet antiquitatis ſpeciem. Qui enim poſtea ſcriptores exſtiterunt, quo gratiam ſcriptis ſuis conciliarent, fere priorum fabulas novis auxerunt et admirabilioribus commentis. Atqui multo ſimplicius eſt, Mercurium virgulta vel pedibus boum ſubligaſſe, ut Apollodorus refert, vel caudis adnexuiſſe, ut Antoninus Liberalis fab. 23. ſcribit, quam, quemadmodum hymni ſcriptor dicit, boves retrogrados et capita ipſi obvertentes abegiſſe. Quod quidem tam inepte eſt atque abſurde inventum, ut antiquiſſimo poetae, qui primus hunc hymnum condidit, non videatur in mentem venire potuiſſe. Et, ſi quid video, hunc quidem iſto commento liberare debebimus. Ac primo videamus reliquos hymni locos, in quibus veſtigiorum retro verſorum mentio fit. V. 211. ſenex Oncheſtius, qui Mercurium viderat, haec refert Apollini:

ἐξοπίσω δ' ἀνέεργε, κάρη δ' ἔχεν ἀντίον αὐτῷ.

Paullo post Apollo, vestigia videns, ita loquitur v. 219.

ὢ πόποι, ἦ μέγα θαῦμα τόδ᾽ ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶμαι·
ἴχνια μὲν τάδε γ᾽ ἐστὶ βοῶν ὀρθοκραιράων,
ἀλλὰ πάλιν τέτραπται ἐς ἀσφοδελὸν λειμῶνα·
βήματα δ᾽ οὔτ᾽ ἀνδρὸς τάδε γίγνεται, οὔτε γυναικός,
οὔτε λύκων πολιῶν, οὔτ᾽ ἄρκτων, οὔτε λεόντων,
οὐδέ τι κενταύρου λασιαύχενος ἔλπομαι εἶναι,
ὅστις τοῖα πέλωρα βιβᾷ ποσὶ καρπαλίμοισιν,
αἰνὰ μὲν ἔνθεν ὁδοῖο, τὰ δ᾽ αἰνότερ᾽ ἔνθεν ὁδοῖο.

Denique idem Iovi haec narrat v. 341.

τὰ δ᾽ ἄρ᾽ ἴχνια τοῖα πέλωρα,
οἷά τ᾽ ἀγάσσασθαι, καὶ ἀγαυοῦ δαίμονος ἔργα.
τῇσιν μὲν γὰρ βουσὶν ἐς ἀσφοδελὸν λειμῶνα
ἀντία βήματ᾽ ἔχουσα κόνις ἀνέφαινε μέλαινα,
αὐτὸς δ᾽ οὗτος ἄϊκτος, ἀμήχανος, οὔτ᾽ ἄρα ποσσὶν,
οὔτ᾽ ἄρα χερσὶν ἔβαινε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον,
ἀλλ᾽ ἄλλην τινὰ μῆτιν ἔχων διέτριβε κέλευθα,
τοῖα πέλωρ᾽, ὡς εἴ τις ἀραιῇσιν δρυσὶ βαίνοι.

Horum locorum primus tantum indicat, boves retro incessisse, capitibus ad pratum, unde abigebantur, conversis. In duobus reliquis locis vestigia tantum commemorantur retro versa, non ratio, qua boves actae fuerint. Itaque hi duo loci, si aliam interpretationem, quam primus, admittant, non probabunt recessim ivisse boves.

Eam vero interpretationem ipſe poeta ſuppeditat his verſibus:

> πλανοδίας δ' ἤλαυνε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον,
> ἴχνι' ἀποστρέψας.

Quorum verborum non poteſt alius eſſe ſenſus, quam Mercurium boves per arenam huc illuc egiſſe, ut confuſa hoc modo veſtigia alio ducere viderentur, quam quo boves abiiſſent. Πλανοδία adiectivum, ſed corrupta ſcriptura, ſervavit Heſychius: πληνοδίᾳ, παρανόμῳ, τετιμημένῃ, τῇ πεπλανημένῃ τῆς ὀρθῆς ὁδοῦ, τουτέστιν, ἀδίκῳ. Sed in hymni loco neſcio an hoc vocabulum ſubſtantivum ſit, licet aliter videatur H. Stephano in Theſ. T. II. p. 1175. F. Quamquam non multum refert, utrum praeferas. Quid autem ſit ἴχνι' ἀποστρέψαι, docet Homerus Iliad. XXII. 194.

> ὁσσάκι δ' ὁρμήσειε πυλάων Δαρδανιάων
> ἀντίον ἀΐξασθαι, ἐϋδμήτους ὑπὸ πύργους,
> εἴπως οἱ καθύπερθεν ἀλάλκοιεν βελέεσσιν,
> τοσσάκι μιν προπάροιθεν ἀποστρέψασκε παραφθὰς
> πρὸς πεδίον.

Itaque Apollo, ultro citroque ducentia videns veſtigia, miratus eſt, id quod volebat Mercurius, remeaſſe ad pratum boves. Quod ſi Mercurius bobus ultro citro agendis fallere Apollinem ſtudebat, quid opus erat, ut eas receſſim ire faceret? Alterutro artificio et poterat ſuperſedere, et debebat. Et ut boves retroverſum incedentes inter-

polatoris commentum esse existimemus, praeter haec, quae iam attuli, duo alia nec levia suadent argumenta. Primum versus 211.

ἐξοπίσω δ' ἀνέεργε, κάρη δ' ἔχον ἀντίον αὐτῷ.

Qui versus eo loco non solum plane vacuus est, sed paene facit, ut oratio Onchestii senis inepta videri debeat, qui si tantum miraculum, recessim euntes boves, vidisset, vix eum poeta tam negligenter ea de re loquentem introduxisset. Hunc igitur versum, quo deleto tantum abest, ut illi orationi quidquam detrahatur, ea ut etiam maiorem elegantiam recuperet, additamentum interpolatoris esse arbitror. Deinde huius ipsius loci corruptio, a quo orsa est nostra disputatio, removere ab antiquioris poetae hymno iubet, quae de bobus retrorsum actis narrantur. Et maxime quidem hi versus laborant:

ἴχνι' ἀποστρέψας· δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης,
ἀντία ποιήσας, ὁπλὰς τὰς πρόσθεν ὄπισθεν,
τὰς δ' ὄπιθεν πρόσθεν, κατὰ δ' ἔμπαλιν αὐτὸς ἔβαινεν.
ἄφραστ' ἠδ' ἀνόητα διέπλεκε θαυματὰ ἔργα.

In quibus non modo ultimus cum reliquis non cohaeret, et duo illi, qui ante hunc sunt, orationem habent frigidam et prosae dictioni quam poeticae similiorem, sed etiam verba, *δολίης δ' οὐ λήθετο τέχνης*, multo aliter, quam apud Homerum solet, adhibita sunt. Quae verba quum, ut

supra indicavi, novum Mercurii artificium promittere debeant, hic de eadem re dicuntur, quae iam ante verbis *ἴχνι᾽ ἀποστρέψας* comprehensa fuerat. Nam si idem poeta, a quo hic versus profectus est, etiam duos sequentes fecit, is *ἴχνι᾽ ἀποστρέψας* eo modo intellexerit necesse est, qui planius his verbis describitur, *ἀντία ποιήσας, ὁπλὰς τὰς πρόσθεν ὄπισθεν, τὰς δ᾽ ὄπιθεν πρόσθεν.* Praeterea Homeri usus exigebat, ut post haec, *δολίης δ᾽ οὐ λήθετο τέχνης*, aut *ἀλλὰ* sequeretur, ut Odyss. IV. 455.

*οὐδ᾽ ὁ γέρων δολίης ἐπελήθετο τέχνης,*
*ἀλλ᾽ ἤτοι πρώτιστα λέων γένετ᾽ ἠϋγένειος,*

aut sine copula id commemoraretur, in quo conspicua esset Mercurii astutia, ut in eodem Odysseae libro v. 529.

*αὐτίκα δ᾽ Αἴγισθος δολίην ἐφράσσατο τέχνην·*
*κρινάμενος κατὰ δῆμον ἐείκοσι φῶτας ἀρίστους,*
*εἷσε λόχον.*

Quod si removerimus ea, quae interpolator, ut facta Mercurii mirabiliora redderet, adiicienda putavit, sponte se offerunt elegantissimi versus veteris poetae:

75 *πλανοδίας δ᾽ ἤλαυνε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον,*
*ἴχνι᾽ ἀποστρέψας· δολίης δ᾽ οὐ λήθετο τέχνης·*
80 *ἄφραστ᾽ ἠδ᾽ ἀνόητα διέπλεκε θαυματὰ ἔργα,*
*συμμίσγων μυρίκας καὶ μυρσινοειδέας ὄζους·*
*τῶν τότε συνδήσας νεοθηλέος ἄγκαλον ὕλης*

ἀσφαλέως ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κοῦφα
85 αὐτοῖσιν πετάλοισιν, ὁδοιπορίην ἀλεείνων.

Non opus est, ut ostendam, tolli hoc modo difficultates omnes, de quibus supra expositum est. Atque apparet, tam simplicem esse hanc narrationem, ea ut antiquior videri debeat illo commento, quod est apud Apollodorum. Quin propemodum crediderim, quae Apollodorus refert, ex quocunque scriptore petita sint, denique ex hoc hymno, ut antiquissimo fonte, manasse. Nam quum hymni scriptor Mercurium sibi tantum calceamenta e virgultis fecisse, bobus ultro citroque actis, tradidisset, alius scriptor, ex quo illa apud Apollodorum narratio deprompta est, ea, quae hymni scriptor de Mercurio dixerat, ad boves transtulit, mirabilius hoc fore existimans. Aliter visum est illi poetae, qui veterem hymnum interpolavit. Hic non contentus iis, quae priorum simplicitas probaverat, maius reperit et paene monstrosum miraculum, boves retroversum cedentes. Versus, quibus de ea re exposuit, versibus antiquioris hymni permixtos, ut aliis in locis, ita hic quoque conservarunt librarii. Atque interpolator, quemadmodum ex iis, quae hactenus disputata sunt, colligitur, hoc modo scripserat:

75 πλανοδίας δ' ἤλαυνε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον,
77 ἀντία ποιήσας, ὁπλὰς τὰς πρόσθεν ὄπισθεν,

τὰς δ' ὄπιθεν πρόσθεν, κάτα δ' ἔμπαλιν αὐτὸς
ἔβαινεν.
σάνδαλα δ' αὐτίκ' ἔραψεν ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσιν,
81 συμμίσγων μυρίκας καὶ μυρσινοειδέας ὄζους·
τῶν τότε συνδήσας νεοθηλέος ἄγκαλον ὥρης,
ἀσφαλέως ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κοῦφα
αὐτοῖσιν πετάλοισι, τὰ κύδιμος Ἀργειφόντης
ἔσπασε Πιερίηθεν, ὁδοιπορίην ἀλεείνων,
οἷά τ' ἐπειγόμενος, δολιχὴν ὁδὸν αὐτοτροπήσας.

Planum est, si sic utrique poetae sua reddantur, nullis opus esse emendationibus, nisi quas etiam qui aliter sentiret non posset evitare. Versantur enim illae in verbis aperte corruptis: ἔριψεν, ἀβλαβέως, αὐτοπρεπὴς ὥς. Hoc quidem quare in ἀντιτορήσων mutandum putaverim, in notis dixi. Sed ipse huius verbi usus versum illum interpolatori vindicat. Eumdem poetam, si recte interpretor vitiosam codicis Moscoviensis scripturam, νεοθηλέαν ἀγκαλωρήν, scripsisse puto νεοθηλέος ἄγκαλον ὥρης, quod ille codex plerumque recentiorem lectionem exhibet. Nec dubitandum puto, quin verba, τὰ κύδιμος Ἀργειφόντης ἔσπασε Πιερίηθεν, ab antiquiore hymno absuerint. Quae quum, ut supra indicavi, ob nomen Mercurii in secundario orationis membro positum displiceant, tum, quare ab antiquo poeta adderentur, nulla caussa erat. Interpolator vero, qui disertim calceamenta ἐπὶ ψαμάθοις ἁλίῃσιν facta dixisset, quali

in loco non ſolent virgulta creſcere, neceſſe habuit, ea virgulta ex Pieria allata commemorare: quod quam apte fecerit, non quaeram.

Sed transeamus ad alia. Ac tametſi hic illic inveniuntur, quae dubites an non ſint antiqui poetae verba, veluti *ὄρη* v. 95. *νὺξ ἐπίκουρος* v. 97. tamen ea tantum perſequar, in quibus certiora ſunt interpolationis veſtigia. Et v. 101. haec leguntur:

*τῆμος ἐπ' Ἀλφειὸν ποταμὸν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς*
*Φοίβου Ἀπόλλωνος βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους.*
*ἀκμῆτες δ' ἵκανον ἐς αὔλιον ὑψιμέλαθρον,*
*καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος.*
105 *ἔνθ' ἐπεὶ εὖ βοτάνης ἐπεφόρβει βοῦς ἐριμύκους,*
*καὶ τὰς μὲν συνέλασσεν ἐς αὔλιον ἀθρό' ἰούσας,*
*λωτὸν ἐρεπτομένας ἠδ' ἑρσήεντα κύπειρον.*
*σὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλά, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνην.*

Mirum eſt, boves, qui iam v. 103. in ſtabulum perveniſſe dicebantur, iterum v. 106. in ſtabulum actos narrari; mirum etiam, quum v. 105. paſti eſſe perhibeantur, v. 107. paſcentes deſcribi; mirum denique v. 106. *καὶ τὰς μὲν* dici, ubi *καὶ* omitti debebat. Haec vero, ſi quid video, in antiquiori carmine ſic ſcripta erant:

101 *τῆμος ἐπ' Ἀλφειὸν ποταμὸν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς*
*Φοίβου Ἀπόλλωνος βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους·*
106 *καὶ τὰς μὲν συνέλασσεν ἐς αὔλιον ἀθρό' ἰούσας,*

*λωτὸν ἐρεπτομένας ἠδ' ἐρσήεντα κύπειρον.*
*σὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλά, πυρὸς δ' ἐπεμαίετο τέχνη.*

Interpolator ea ſic mutavit:

101 *τῆμος ἐπ' Ἀλφειὸν ποταμὸν Διὸς ἄλκιμος υἱὸς*
*Φοίβου Ἀπόλλωνος βοῦς ἤλασεν εὐρυμετώπους.*
*ἀκμῆτες δ' ἵκανον ἐς αὔλιον ὑψιμέλαθρον,*
*καὶ ληνοὺς προπάροιθεν ἀριπρεπέος λειμῶνος.*
*ἔνθ' ἐπεὶ εὖ βοτάνης ἐπεφόρβει βοῦς ἐριμύκους,*
108 *σὺν δ' ἐφόρει ξύλα πολλά, πυρὸς δ' ἐπεμαίετ' ἀϋτμήν.*

*Ἀϋτμὴν* enim neſcio an lateat in *τύνη*, quod eſt in cod. Moſc. In eodem verſu poeta fortaſſe *σύν ῥ' ἐφόρει* ſcripſerat. In eo autem, qui ſequitur, ſuſpiceris eum *ἐνίαλλε* dediſſe, quum cod. Moſc. pro *ἐπέλεψε* praebeat *ἐνίαλλα*.

Paullo poſt ita legitur, v. 118.

*ἀμφοτέρας δ' ἐπὶ νῶτα χαμαὶ βάλε φυσιοώσας,*
*ἐγκλίνας δ' ἐκύλινδε, δι' αἰῶνάς τε τορήσας,*
*ἔργῳ δ' ἔργον ὄπαζε.*

Hic non modo *ἐγκλίνας* repugnat praecedenti verſui, ſed etiam *τορήσας* difficultatem habet, quum non poſſit cum ſequentibus verbis conſtrui. Praeterea neſcio an omnino *δι' αἰῶνας τορήσας* exquiſitius dicatur, quam antiquioris poetae aetas ferat. Quare pro hoc verſu,

*ἐγκλίνας δ' ἐκύλινδε, δι' αἰῶνάς τε τορήσας,*

in vetuſtiore hymno alium fuiſſe verſum puto,

quo boves mactati eſſe dicerentur. In hymno autem eo, quem interpolator fecit, primo verſu omiſſo ita fuiſſe copulatam orationem ſuſpicor:

*τόφρα δ' ἐριβρύχους ἕλικας βοῦς εἷλκε θύραζε*
*δοιὰς ἄγχι πυρός· δύναμις δέ οἱ ἔπλετο πολλή·*
*ἐγκλίνας δ' ἐκύλινδε, δι' αἰῶνάς τε τορήσας,*
*ἔργῳ ἔργον ὄπαζε.*

Mirum in modum perturbata ſunt, quae v. 142. leguntur:

*Κυλλήνης δ' αἶψ' αὖτις ἀφίκετο δῖα κάρηνα*
*ὄρθριος, οὐδέ τί οἱ δολιχῆς ὁδοῦ ἀντεβόλησεν*
*οὔτε θεῶν μακάρων, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων,*
*οὐδὲ κύνες λελάκοντο. Διὸς δ' ἐριούνιος Ἑρμῆς*
*δοχμωθεὶς μεγάροιο διὰ κλήϊθρον ἔδυνεν*
*αὔρῃ ὀπωρινῇ ἐναλίγκιος, ἠΰτ' ὀμίχλη.*
*ἰθύσας δ' ἄντρου ἐξίκετο πίονα νηόν,*
*ἦκα ποσὶν προβιβῶν· οὐ γὰρ κτύπεν, ὥσπερ ἐπ' οὔδει.*
*ἐσσυμένως δ' ἄρα λίκνον ἐπῴχετο κύδιμος Ἑρμῆς,*
*σπάργανον ἀμφ' ὤμοις εἰλυμένος, ἠΰτε τέκνον*
*νήπιον, ἐν παλάμῃσι περ ἰγνύσι λαῖφος ἀθύρων*
*κεῖτο, χέλυν ἐρατὴν ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἐέργων.*

Manifeſtiſſimum hic vitium in eo eſt, quod ultimus verſus non cohaeret cum praecedentibus. Quae res criticos movit, ut v. 151. corrigerent *σπάργανα δ' ἀμφ' ὤμοις εἰλυμένος*, parum tuta emendatione, praeſertim in ſcriptore interpolationibus corrupto. Sed laborant etiam alia in hoc loco. Primum tam

plene eſt et graviter terminata oratio hoc verſu,

οὔτε θεῶν μακάρων, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων,

ut neminem illud exſpectaturum putes,

οὐδὲ κύνες λελάκοντο.

Sed hoc levius eſt. Maioris eſt momenti, quod his verſibus,

δοχμωθεὶς μεγάροιο διὰ κλήϊθρον ἔδυνεν,
αὔρῃ ὀπωρινῇ ἐναλίγκιος, ἠΰτ' ὀμίχλη,

repugnant ii, qui ſtatim ſubiiciuntur:

ἰθύσας δ' ἄντρου ἐξίκετο πίονα νηόν,
ἦκα ποσὶν προβιβῶν· οὐ γὰρ κτύπεν, ὥςπερ ἐπ' οὔδει.

Domus enim Mercurii antrum eſt. Quomodo ergo domum ingreſſus antrum petere dici poteſt? Et quum in domum aurae et nebulae ſimilis irrepſerit, cur cavet, ne pedibus ſtrepitum faciat? Haec profecto, ſi quidquam, diverſorum poetarum ſint neceſſe eſt. Quod ſi et inventionis et orationis ſimplicitatem reſpicimus, antiquiori poetae haec putabimus tribuenda eſſe:

142 Κυλλήνης δ' αἶψ' αὖτις ἀφίκετο δῖα κάρηνα,
ὄρθριος, οὐδέ τί οἱ δολιχῆς ὁδοῦ ἀντεβόλησεν,
οὔτε θεῶν μακάρων, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων.
148 ἰθύσας δ' ἄντρου, ἐξίκετο πίονα νηόν,
ἦκα ποσὶν προβιβῶν· οὐ γὰρ κτύπεν, ὥςπερ ἐπ' οὔδει.
ἐσσυμένως δ' ἄρα λίκνον ἐπῴχετο κύδιμος Ἑρμῆς.

Tum vero interpolator hunc locum sic videbitur conformasse:

142 Κυλλήνης δ' αἶψ' αὖτις ἀφίκετο δῖα κάρηνα
ὄρθριος, οὐδέ τί οἱ δολιχῆς ὁδοῦ ἀντεβόλησεν,
οὔτε θεῶν μακάρων, οὔτε θνητῶν ἀνθρώπων·
οὐδὲ κύνες λελάκοντο· Διὸς δ' ἐριούνιος Ἑρμῆς
δοχμωθεὶς μεγάροιο διὰ κλήϊθρον ἔδυνεν,
αὔρῃ ὀπωρινῇ ἐναλίγκιος, ἠΰτ' ὀμίχλη.
150 ἐσσυμένως δ' ἄρα λίκνον ἐπῴχετο· αὐτὰρ ἔπειτα,
σπάργανον ἀμφ' ὤμοις εἰλυμένος, ἠΰτε τέκνον
νήπιον, ἐν παλάμησι παριγνὺς λαῖφος, ἀθύρων,
κεῖτο, χέλυν ἐρατὴν ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς ἐέργων.

In oratione Mercurii, quae v. 163. incipit, non repugnabo, si quis versus 166—175. ab antiquo poeta abiudicandos censeat: qui versus, meo quidem sensu, nonnihil a simplicitate reliquae orationis et venustate recedunt. Similiter in iis, quae hunc locum excipiunt, quum alia possunt in dubitationem vocari, tum versus 230. ob verbum ἐλόχευσε, de quo dixi ad Orphica p. 811. Sed mittam haec, et manifestiora attingam duplicis recensionis indicia. Ac v. 239. ita scriptum videmus:

ὣς Ἑρμῆς ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινεν ἑαυτόν.
ἐν δ' ὀλίγῳ συνέλασσε κάρη, χεῖράς τε, πόδας τε,
δή ῥα νεόλλουτος, προκαλεύμενος ἥδυμον ὕπνον,
ἄγρης. εἰνέτεόν τε χέλυν ὑπὸ μασχάλῃ εἶχε.

Quae quum multis modis vitiata sint, hoc certe apparet, δή ῥα, quod audacius quidam in οἷα mu-

tarunt, vix aliunde potuisse, quam ex Φή ῥα, corrumpi. Quo indicio non dubitamus tres postremos versus recentiori poetae adscribere. Interpolator ergo, omisso primo versu, sic videtur scripsisse:

ἐν δ' ὀλίγῳ συνέλασσε κάρη, χεῖράς τε, πόδας τε,
Φή ῥα νεόλλουτος, προκαλεύμενος ἥδυμον ὕπνον,
ἐγρήσσων ἐτεόν γε, χέλυν δ' ὑπὸ μασχάλῃ εἶχεν.

Nunc existimari poterit primum versum immerito pro corrupto haberi. In quo versu haec verba, ὣς Ἑρμῆς ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινεν, coniungi debere, non sinit dubitare similis locus in Odyss. IV. 396.

μήπως με προϊδὼν ἠὲ προδαεὶς ἀλέηται.

Itaque quum ἑαυτὸν ad sequentia spectare debuerit, proclive est, ea ideo ab librariis omissa credere, quod simillima essent his, quae leviter mutata interpolator posuit: veluti si scripserit antiquus ille:

ὣς Ἑρμῆς ἑκάεργον ἰδὼν ἀλέεινε, ἓ αὐτον
εἶν ὀλίγῳ ἔλσας, κεφαλήν, χεῖράς τε, πόδας τε.

Hinc quae sequuntur, videntur antiqua esse usque ad v. 263.

οὐκ ἴδον, οὐ πυθόμην, οὐκ ἄλλου μῦθον ἄκουσα,
οὐκ ἂν μηνύσαιμ', οὐκ ἂν μήνυτρον ἀροίμην·
οὔτι βοῶν ἐλατῆρι, κραταιῷ φωτί, ἔοικα·
οὐκ ἐμὸν ἔργον τοῦτο· πάρος δέ μοι ἄλλα μέμηλεν·

ὕπνος ἔμοιγε μέμηλε, καὶ ἡμετέρης γάλα μητρός,
σπάργανά τ' ἀμφ' ὤμοισιν ἔχειν καὶ θερμὰ λοετρά.

Horum postrema, quod argutiora sunt, fortasse in suspicionem poterunt interpolationis trahi. Quamquam hoc ambiguum est. Priores vero illorum versuum, negationibus toties sine copula repetitis, aperte produnt rhetoricae elegantiae studium. Quid pro his tribus versibus, quorum tertius e v. 377. ductus est, is scriptor dederit, qui primus hunc hymnum fecit, certissimo ipse docet testimonio, qui Apollinem v. 362. ita de hac Mercurii oratione dicentem introducat:

αὐτὸς δ' αὐτίκα μῦθον ἀπηλεγέως ἀπέειπεν·
οὐκ ἴδον, οὐ πυθόμην, οὐκ ἄλλου μῦθον ἄκουσα,
οὐδέ κε μηνύσαιμ', οὐδ' ἂν μήνυτρον ἀροίμην.

Haec vero antiqua est et Homerica oratio.

Pergit Mercurius hoc modo, v. 269.

μή τις τοῦτο πύθοιτο, πόθεν τόδε νεῖκος ἐτύχθη·
καί κεν δὴ μέγα θαῦμα μετ' ἀθανάτοισι γένοιτο,
παῖδα νέον γεγαῶτα διὰ προθύροιο περῆσαι
βουσὶ μετ' ἀγραύλοισι· τὸ δ' ἀπρεπέως ἀγορεύεις.
χθὲς γενόμην, ἁπαλοὶ δὲ πόδες, τρηχεῖα δ' ὕπο χθών.
εἰ δ' ἐθέλεις, πατρὸς κεφαλήν, μέγαν ὅρκον, ὀμοῦμαι,

μὴ μὲν ἐγὼ μήτ' αὐτὸς ὑπίσχομαι αἴτιος εἶναι,
μήτε τίν' ἄλλον ὄπωπα βοῶν κλοπὸν ὑμετεράων,
αἵτινες αἱ βόες εἰσί· τὸ δὲ κλέος οἶον ἀκούω.

Quatuor priores horum verſuum tam ſunt veteris elegantiae nitore conſpicui, ut, ſi quidquam in hoc hymno, pro antiquiſſimis haberi debeant. Sed quae ultima in his verba ſunt, τὸ δ' ἀπρεπέως ἀγορεύεις, quum apprime conveniant finiendae orationi, vel ſola per ſe ſequentes verſus in ſuſpicionem adducunt. Sunt autem in his ipſis verſibus, quae hanc ſuſpicionem non mediocriter augere videantur. Hic quidem verſus,

χθὲς γενόμην, ἁπαλοὶ δὲ πόδες, τρηχεῖα δ' ὑπὸ χθών,

neque aliud quidquam continet, quam quod iam dictum erat, et argutior eſt, quam pro praecedentium verſuum ſimplicitate exſpectes. Quanto ſimplicius infra v. 376.

αὐτὰρ ἐγὼ χθιζὸς γενόμην.

Qui deinde verſus ſequuntur, duas praebent dubitandi cauſſas. Primo eadem paene iisdem verbis repetuntur v. 309.

οὐ γὰρ ἔγωγε
ὑμετέρας ἔκλεψα βόας, οὐδ' ἄλλον ὄπωπα,
αἵτινές εἰσι βόες· τὸ δὲ δὴ κλέος οἶον ἀκούω.

Neque haec repetitio eſt ex eo genere, quod amant veteres epici. Deinde Apollo in iis, quae v. 334 — 364. Iovi refert, nullam facit iuriſiuran-

di mentionem, quod aut praeſtiterit Mercurius, aut praeſtare voluerit. Atqui antiquus poeta ſi Mercurium iurato negantem introduxiſſet, vix id praeteriri ab Apolline ſiviſſet, praeſertim quum ea re crimen Mercurii augeri debuiſſet. His rationibus permotus orationem Mercurii in antiquiore hymno verbis, τὸ δ' ἀπρεπέως ἀγορεύεις, finitam eſſe, reliquos autem quinque verſus interpolatorem adiecisse opinor. Ab eodem verſum 311. ita, ut nunc eſt, mutatum puto, quum antea eſſet, ut nunc v. 277.

αἵτινες αἱ βόες εἰσί· τὸ δὲ κλέος οἶον ἀκούω.

In eodem Mercurii atque Apollinis colloquio dubitatum eſt de artificio illo paullo obſceniore, quo Mercurius Apollinem illudit. Video de ea re poſſe in utramque partem disputari; poſſe, ſi quis verſus 293—303. damnare velit, rem ab epici carminis gravitate alienam, verſum 294. qui non habet antiquum colorem, ſilentium Apollodori afferri; poſſe vero etiam his ita reſponderi, ut haec argumenta evertantur, quum quidem de v. 294. ſed de eo ſolo, concedatur. Quare ab his abstineo, quod pariter probabilia omni probabilitate deſtituuntur.

Verſu 322. codex Moscovienſis, ut ſolet, interpolatoris manum conſervavit,

αἶψα δὲ τέρθρον ἵκοντο θυώδεος Οὐλύμποιο,

quum vulgata lectio antiquioris poetae verba referat

*αἶψα δ' ἵκοντο κάρηνα θυώδεος Οὐλύμποιο.*

Sequuntur mox hi duo verſus, 325. 326.

*εὐμυλίη δ' ἔχ' Ὄλυμπον ἀγάννιφον, ἀθάνατοι δὲ*
*ἄφθιτοι ἠγερέθοντο ποτὶ πτύχας Οὐλύμποιο,*

qui etiam purgati a vitiis, hoc certe nomine reprehendi poſſunt, quod vacui ſunt eo loco. Quamquam haec non idonea cauſſa eſt damnandi. Sed verſum 332.

*σπουδαῖον τόδε χρῆμα θεῶν μεθ' ὁμήγυριν ἦλθε,*

nemo, ſemel monitus, antiquo poeta dignum iudicabit.

Non longe ab hoc verſu ſic loquitur Apollo v. 340.

*κλέψας δ' ἐκ λειμῶνος ἐμὰς βοῦς ᾤχετ' ἐλαύνων*
*ἑσπέριος παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης,*
*εὐθὺ Πύλονδ' ἐλάων· τὰ δ' ἄρ' ἴχνια τοῖα πέλωρα,*
*οἷά τ' ἀγάσσασθαι καὶ ἀγαυοῦ δαίμονος ἔργα.*
*τῇσιν μὲν γὰρ βουσὶν ἐς ἀσφοδελὸν λειμῶνα*
*ἀντία βήματ' ἔχουσα κόνις ἀνέφαινε μέλαινα·*
*αὐτὸς δ' οὗτος, ἄϊκτος, ἀμήχανος, οὔτ' ἄρα ποσσίν,*
*οὔτ' ἄρα χερσὶν ἔβαινε διὰ ψαμαθώδεα χῶρον,*
*ἀλλ' ἄλλην τινὰ μῆτιν ἔχων διέτριβε κέλευθα,*
*τοῖα πέλωρ', ὡσεί τις ἀραιῇσιν δρυσὶ βαίνων.*

In quo loco ſi nihil aliud, certe hic verſus,

ἀλλ' ἄλλην τινὰ μῆτιν ἔχων διέτριβε κέλευθα,

aperte recentior eſt. Sed quid ſi veterem poetam haec multo brevius ita dixiſſe cenſeamus:

τὰ δ' ἄρ' ἴχνια τοῖα πέλωρα,
τοῖα πέλωρ', ὡς εἴ τις ἀραιῇσιν δρυσὶ βαίνοι.

Non deſunt, quae probabilem reddere hanc ſuſpicionem videantur. Quamquam quis talia affirmare auſit? Certius interpolatorem deprehendemus in his, v. 378.

πείθεο, καὶ γὰρ ἐμεῖο πατὴρ φίλος εὔχεαι εἶναι,
ὡς οὐκ οἴκαδ' ἔλασσα βόας, ὣς ὄλβιος εἴην,
οὐδ' ὑπὲρ οὐδὸν ἔβην· τὸ δέ τ' ἀτρεκέως ἀγορεύω·
Ἠέλιον δὲ μάλ' αἰδέομαι καὶ δαίμονας ἄλλους,
καὶ σὲ φιλῶ, καὶ τοῦτον ὀπίζομαι· οἶσθα καὶ αὐτός,
ὡς οὐκ αἴτιός εἰμι· μέγαν δ' ἐπιδαίομαι ὅρκον·
οὐ μὰ τάδ' ἀθανάτων εὐκόσμητα προθύραια.

Sententiae in his verſibus argutae, abruptae, male nexae; oratio non qualem in antiquo poeta exſpectes: cuiusmodi haec ſunt, ὣς ὄλβιος εἴην, φιλῶ, οἶσθα καὶ αὐτός, non ad praegreſſa, ſed ad ſequentia relatum, quae nihil, niſi quod iam dictum erat, continent. Si quid video, ὡς illud, quo duo verſus incipiunt, clare monſtrat, in hymno interpolatoris poſtremos duo verſus omiſſos fuiſſe, priſcum autem poetam ſcripſiſſe hoc modo:

378 πείθεο, καὶ γὰρ ἐμεῖο πατὴρ φίλος εὔχεαι εἶναι,
383 ὡς οὐκ αἴτιός εἰμι· μέγαν δ' ἐπιδαίομαι ὅρκον·
οὐ μὰ τάδ' ἀθανάτων εὐκόσμητα προθύραια.

Mox v. 391. ita ſcribitur:

ἀμφοτέρους δ' ἐκέλευεν ὁμόφρονα θυμὸν ἔχοντας
ζητεύειν, Ἑρμῆν δὲ διάκτορον ἡγεμονεύειν,
καὶ δεῖξαι τὸν χῶρον ἐπ' ἀβλαβίῃσι νόοιο,
ὅππῃ δ' αὖτ' ἀπέκρυψε βοῶν ἴφθιμα κάρηνα.

Quis dubitet, duos poſtremos verſus, qui ſatis ipſa oratione ſe produnt, ab elegantiſſimo antiquioris poetae hymno abfuiſſe?

Progreditur hinc oratio venuſtiſſimis verſibus, niſi quis verſui 438.

ἡσυχίως καὶ ἔπειτα διακρινέεσθαι ὀΐω,

litem intendat, usque ad v. 446. Sed quis pro antiquis haberi volet verſus 447 — 449.

τίς τέχνη, τίς μοῦσα ἀμηχανέων μελεδώνων;
τίς τρίβος; ἀτρεκέως γὰρ ἅμα τρία πάντα πάρεστιν,
εὐφροσύνην καὶ ἔρωτα καὶ ἥδυμον ὕπνον ἑλέσθαι.

Qui verſus immane quantum diſtant a ſimplici venuſtate illorum, qui praecedunt et ſequuntur. Neque verſum 455.

θαυμάζω Διὸς υἱὲ τάδ', ὡς ἐρατὸν κιθαρίζεις,

qui valde ieiunus eſt, antiqui poetae eſſe exiſtimo. Nec pro certo affirmaverim, qui hunc excipiunt verſus usque ad finem eorum, quae Apollo dicit, in antiquiore hymno fuiſſe.

Paullo poſt haec leguntur v. 469.

φιλεῖ δέ σε μητιέτα Ζεὺς
ἐκ πάσης ὁσίης, ἔπορεν δέ τοι ἀγλαὰ δῶρα
καὶ τιμάς· σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς
μαντείας, ἑκάεργε, Διὸς πάρα, θέσφατα πάντα.
καὶ νῦν αὐτὸς ἐγὼ παῖδ' ἀφνειὸν δεδάηκα.
σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
μέλπεο καὶ κιθάριζε, καὶ ἀγλαΐας ἀλέγυνε,
δέγμενος ἐξ ἐμέθεν· σὺ δέ μοι, φίλε, κῦδος ὄπαζε.
εὐμόλπει, μετὰ χερσὶν ἔχων λιγύφωνον ἑταίρην.

Corruptiſſimus verſus,

καὶ νῦν αὐτὸς ἐγὼ παῖδ' ἀφνειὸν δεδάηκα,

quocumque modo emendetur, alienus eſt ab hoc loco, ſi ſervatur ſequens verſus,

σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς,

qui neceſſe eſt arctiſſime iunctus fuerit cum verbis, σὲ δέ φασι δαήμεναι μαντείας. Vter vero illorum verſuum interpolatori adſcribendus erit? Corruptus ille, opinor. Alter enim infra v. 489. repetitur, et in loco manifeſte interpolato, ita ut non dubitandum videatur, quin eum interpolator, hinc ſubmotum, infra poſuerit. Sed de hoc quidem verſu iterum disputabitur infra. Praeterea ultimus eorum verſuum, quos adſcripſi, nullo modo cum praecedentibus cohaeret. Tu quidem, Ilgeni, quum ordine verſuum mutato σύμμολπον pro εὐμόλπει ſcriberes, id effeciſti, ut, ſi in co-

dicibus hic locus ita legeretur, quemadmodum a te emendatus eſt, nihil fingi poſſet elegantius. Sed quum in ſcriptore interpolationibus corrupto verſemur, quumque ea, quae ſtatim iſtum verſum excipiunt, aperte recentioris ſint et argutum dicendi genus captantis poetae, vide an aliquanto praeſtet, nulla plane mutatione facta, ſuum cuique reddere. Atque antiquior poeta, mea quidem ſententia, haec ſcripſerat:

475 ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
μέλπεο καὶ κιθάριζε, καὶ ἀγλαΐας ἀλέγυνε,
δέγμενος ἐξ ἐμέθεν· σὺ δέ μοι, φίλε, κῦδος ὄπαζε.
491 ἡμεῖς δ' αὖτ' ὄρεός τε καὶ ἱπποβότου πεδίοιο
βουσὶ νομοὺς, ἑκάεργε, νομεύσομεν ἀγραύλοισιν,

et quae ſequuntur. Interpolatoris vero haec ſunt:

475 ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
478 εὐμόλπει, μετὰ χερσὶν ἔχων λιγύφωνον ἑταίρην,
καλὰ καὶ εὖ κατὰ κόσμον ἐπισταμένην ἀγορεύειν.
εὔκηλος μὲν ἔπειτα φέρειν ἐς δαῖτα θάλειαν,
καὶ χορὸν ἱμερόεντα, καὶ ἐς φιλοκυδέα κῶμον,
εὐφροσύνην νυκτός τε καὶ ἤματος· ὅστις ἄρ' αὐτὴν
τέχνῃ καὶ σοφίῃ δεδαημένος ἐξερεείνῃ,
φθεγγομένη παντοῖα νόῳ χαρίεντα διδάσκει,
ῥεῖα συνηθείῃσιν ἀθυρομένη μαλακῇσιν,
ἐργασίην φεύγουσα δυήπαθον· ὃς δέ κεν αὐτὴν
νῆϊς ἐὼν τὸ πρῶτον ἐπιζαφελῶς ἐρεείνῃ,
μὰψ αὔτως κεν ἔπειτα μετήορά τε θρυλλίζοι.

σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
καί τοι ἐγὼ δώσω ταύτην, Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε.
ἡμεῖς δ' αὖτ' ὄρεός τε καὶ ἱπποβότου πεδίοιο
βουσὶ νομοὺς ἑκάεργε νομεύσομεν ἀγραύλοισιν.

Extrema hymni pars tot eſt tantisque intricata difficultatibus, ut paene de probabili explicatione deſperandum videatur. Sed conabor tamen, quam potero diligentiſſime, in hunc locum inquirere, magis ne quidquam non dictum reprehendatur, quam ut dictum laudetur. Ac primum proferantur Apollodori verba, quibus is ea, quae in hymno hic narrantur, expoſuit: ἀκούσας δὲ τῆς λύρας ὁ Ἀπόλλων, ἀντιδίδωσι τὰς βόας. Ἑρμῆς δὲ ταύτας νέμων, σύριγγα πάλιν πηξάμενος, ἐσύριζεν. Ἀπόλλων δὲ καὶ ταύτην βουλόμενος λαβεῖν, τὴν χρυσῆν ῥάβδον ἐδίδου, ἣν ἐκέκτητο βουκολῶν. ὁ δὲ καὶ ταύτην λαβεῖν ἀντὶ τῆς σύριγγος ἤθελε, καὶ τὴν μαντικὴν ἐπελθεῖν· καὶ δοὺς, διδάσκεται τὴν διὰ τῶν ψήφων μαντικήν. Ζεὺς δὲ αὐτὸν κήρυκα ἑαυτοῦ καὶ θεῶν ὑποχθονίων τίθησι. Mittamus nunc discrepantiam, quae inter utrumque ſcriptorem eſt, et videamus tantummodo, qua ratione cum praecedentibus coniuncta ſint ea, quae de fiſtula dicuntur. Apertum eſt, nexum inter has res eſſe nullum, niſi quod altera tempore poſterior eſt. Et coniunxit earum commemorationem Apollodorus per vocabulum πάλιν, quo nihil non poteſt coniungi. Licuit hoc ei, qui veterum fabu-

las in libros ſuos congerebat. At in poeta, qui non commentarios ſcribit, ſed perpetuam narrationem, quis talem nexum ferat? Atqui hic noſter non melius iſta copulavit. Quamquam hoc aliquis fortaſſe eiusmodi vitium eſſe cenſebit, quod reprehendi, non tolli debeat. Et profecto lubens ipſe in hanc ſententiam concederem, niſi plura eſſent et graviora, quae me inde revocarent. Conſideremus ipſa poetae verba, v. 507.

χάρη δ' ἄρα μητίετα Ζεύς,
ἄμφω δ' ἐς φιλότητα συνήγαγε· καὶ τὸ μὲν Ἑρμῆς
Λητοΐδην ἐφίλησε διαμπερές, ὡς ἔτι καὶ νῦν,
σῆμά τ', ἐπεὶ κιθάρην μὲν ἑκηβόλῳ ἐγγυάλιξεν
ἱμερτὴν δεδαώς, ὁ δ' ἐπωλένιον κιθάριζεν.
αὐτὸς δ' αὖθ' ἑτέρης σοφίης ἐκμάσσατο τέχνην·
συρίγγων ἐνοπὴν ποιήσατο τηλόθ' ἀκουστήν.

Quae in his prima ſunt, ex iis poetam ad finem hymni properare colligas, minime autem ad alia Mercurii inventa tranſiturum eſſe. Deinde quam frigida ſunt et inepta, quae his verſibus continentur:

σῆμά τ', ἐπεὶ κιθάρην μὲν ἑκηβόλῳ ἐγγυάλιξεν
ἱμερτὴν δεδαώς, ὁ δ' ἐπωλένιον κιθάριζεν.

Tum vero qui duo verſus ſequuntur, quis credat his poetam fiſtulae inventionem comprehenſurum fuiſſe? Quod, ſi quidquam, prorſus eſt incredibile. Immo explicatius hanc rem et copioſius deſcribi

mos epicorum poſtulabat. Neque ita noſter de cithara expoſuit. Sed progrediamur ad reliqua. Ex Apollodoro coniicias, inventa fiſtula Apollinem hanc ſibi expetiturum eſſe. Coniicias hoc etiam ex eo verſu, quem ſtatim ſubiicit poeta:

καὶ τότε Λητοΐδης Ἑρμῆν πρὸς μῦθον ἔειπεν.

Nam cur *καὶ τότε* dicit, ſi hoc non ad fiſtulae inventionem ſpectat? At longe alia, quam quae exſpectes, loquitur Apollo. Metuere ſe dicit, ne ſibi ſimul et cithara et arcus a Mercurio auferatur; praeeſſe enim hunc rebus permutandis; quare rogat, ut fide data amicitiam promittat. Quod ille quum feciſſet, viciſſim ſe ei amicum fore ſpondet Apollo, ſimulque daturum dicit auream virgam; futuri autem ſcientiam, quam petiiſſet Mercurius, non poſſe ſe ei impertire, iureiurando prohibitum; ſed conceſſurum eſſe artem per ſortes vaticinandi, tum boum aliorumque animalium curam; fore etiam Mercurium nuncium Orci. *Sic*, pergit poeta, *Apollo amorem ſuum demonſtravit Mercurio.* Ne verbum quidem de fiſtula. Quare hoc quidem pro certo habendum puto, fiſtulae mentionem ne ſupra quidem a poeta factam eſſe. Num vero quidquam lucrabimur verſibus iſtis eiectis, ita ut reliqua hoc modo nectantur:

χάρη δ' ἄρα μητίετα Ζεύς,
ἄμφω δ' ἐς φιλότητα συνήγαγε· καί ῥ' ὁ μὲν Ἑρμῆς

Λητοΐδην ἐφίλησε διαμπερὲς ἐξέτι κείνου.
καὶ τότε Λητοΐδης Ἑρμῆν πρὸς μῦθον ἔειπεν.

Nihil profecto: nam ne in his quidem idoneus nexus eſt, et totum illud Apollinis cum Mercurio colloquium inepte adiectum videbitur. Quid enim? In gratiam quum rediiſſent, Apollo metuere ſe dixerit, ne citharam arcumque auferret Mercurius? Id vero ante reconciliatam gratiam fieri debebat. Et cur dona dat Mercurio? Dederat iam boves et flagellum. Nunc, amicitiae ſcilicet teſtandae cauſſa, caduceum addit, et iterum boves. Deinde quid hoc eſt, quod Mercurium futuri ſcientiam ſibi petiiſſe dicit? Nihil ea de re dixerat Mercurius. Atqui ſic loquitur Apollo, ut clare rogaſſe Mercurium appareat: v. 533.

μαντείην δὲ φέριστε, διοτρεφές, ἣν ἐρεείνεις,
οὔτε σὲ θέσφατόν ἐστι δαήμεναι, οὔτε τιν' ἄλλον
ἀθανάτων·

et v. 556.

καὶ σὺ, κασίγνητε χρυσόῤῥαπι, μή με κέλευε
θέσφατα πιφαύσκειν ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς.

Illum igitur locum excidiſſe, in quo Mercurius vaticinandi artem dari ſibi rogaverat, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Supereſt denique alia eaque non minima difficultas. Nam verſibus illis, quos poſtremos attuli, ſtatim haec ſubiiciuntur:

ἀνθρώπων δ' ἄλλον δηλήσομαι, ἄλλον ὀνήσω,
πολλὰ περιτροπέων ἀμεγάρτων φῦλ' ἀνθρώπων.
καὶ μὲν ἐμῆς ὀμφῆς ἀπονήσεται, ὅστις ἂν ἔλθη
φωνῇ καὶ πτερύγεσσι τελήεντων οἰωνῶν·
οὗτος ἐμῆς ὀμφῆς ἀπονήσεται, οὐδ' ἀπατήσω.
ὃς δέ κε μαψιλόγοισι πιθήσας οἰωνοῖσιν,
μαντείην ἐθέλῃσι παρὲκ νόον ἐξερεείνειν
ἡμετέρην, νοέειν δὲ θεῶν πλέον αἰὲν ἐόντων,
φήμ', ἁλίην ὁδὸν εἶσιν, ἐγὼ δέ κε δῶρα δεχοίμην.

Quis non videat, inepte hic de ſuis oraculis verba facere Apollinem, praeſertim quum quaſi de re futura loquatur? Et, quod gravius eſt, quis haec,

πολλὰ περιτροπέων ἀμεγάρτων φῦλ' ἀνθρώπων,

de Apolline dici ſibi perſuadeat, quae ſoli Mercurio conveniunt? Senſit haec etiam Matthiae: quem miror, hoc deprehenſo indicio, non eſſe longius progreſſum. Nihil enim certius eſt, quam hos verſus omnes ex illa Mercurii oratione ſervatos eſſe, qua is artem vaticinandi ab Apolline petierat. Quibus hic reſectis ita procedit Apollinis oratio, ut non ſolum nihil in ea deſiderari poſſit, ſed multo etiam omnia, quam ante, pulcriora evadant. At qui tandem factum eſt, ut non modo hi verſus ſoli ex illa oratione Mercurii ſervarentur, ſed etiam intruderentur in mediam orationem Apollinis? Aut conticendum hic eſt, aut hariolandum. Et hariolabimur, quod ſaltem

non magis obeſt, quam ſtupere prodeſt, dummodo facillima leniſſimaque ratione hanc perturbationem expedire ſtudeamus.

Itaque ante omnia deſerendus nobis eſt Apollodorus: ad cuius narrationem ſi ea, quae in hymno traduntur, exigenda eſſent, nullus confuſionis et lacunarum finis inveniri poſſet. Quod ſi veſtigia ſequimur, quae ipſe hymnus ſuppeditat, primum nullam eſſe fiſtulae factam mentionem fatebimur. De qua re ſi expoſuiſſet poeta, id, quemadmodum ſupra indicavi, et copioſius feciſſet, nec praeteriiſſet, Apollinem fiſtula donatum eſſe a Mercurio. At unde iſti verſus, qui ſunt de fiſtula? Aſſentieris mihi fortaſſe, Ilgeni, ſi dixero, quid ſentiam. Meminiſti, ſupra inventa eſſe minoris cuiusdam hymni fragmenta, quae librarii maiori hymno inſeruerint. Eius hymni qui duo poſtremi reperti ſunt verſus, vide an his commode haec quoque, et praeterea tres alii verſus e ſine maioris hymni, adiungi poſſint:

25 Ἑρμῆς τοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ᾽ ἀοιδόν·
111 Ἑρμῆς τοι πρώτιστα πυρήϊα πῦρ τ᾽ ἀνέδωκεν·
509 κτῆμα δ᾽ ἐπεὶ κιθάρην μὲν ἑκηβόλῳ ἐγγυάλιξεν
ἱμερτὴν δεδαώς, ὃ δ᾽ ἐπωλένιον κιθάριζεν·
αὐτὸς δ᾽ αὖθ᾽ ἑτέρης σοφίης ἐκμάσσατο τέχνην·
συρίγγων ἐνοπὴν ποιήσατο τηλόθ᾽ ἀκουστήν.
576 πᾶσι δ᾽ ὅγε θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισιν ὁμιλεῖ·
παῦρα μὲν οὖν ὀνίνησι, τὸ δ᾽ ἄκριτον ἠπεροπεύει

νύκτα δι' ὀρφναίην φῦλα θνητῶν ἀνθρώπων.
καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱέ·
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

Κτῆμα scripsi pro σῆμα. Erit fortasse, qui malit σχῆμα, *ornamentum*.

Remotis, quae de fistula narrabantur, redeamus ad versus, qui praecedunt:

χάρη δ' ἄρα μητίετα Ζεύς,
ἄμφω δ' ἐς φιλότητα συνήγαγε· καί ῥ' ὁ μὲν Ἑρμῆς
Λητοΐδην ἐφίλησε διαμπερὲς ἐξέτι κείνου.

Supra iam significavi, videri poetam finire hymnum voluisse, et inepta esse, quae subiiciuntur, gratia reconciliata metuere Apollinem; donis datis alia dare. Confirmat sententiam meam ipsa oratio, quae necessario exigit, ut Mercurii amore in Apollinem commemorato, etiam Apollinis in Mercurium amor praedicetur. Fortasse haec quoque restitui poterunt:

506 χάρη δ' ἄρα μητίετα Ζεύς,
ἄμφω δ' ἐς φιλότητα συνήγαγε· καί ῥ' ὁ μὲν Ἑρμῆς
Λητοΐδην ἐφίλησε διαμπερὲς ἐξέτι κείνου·
574 αὐτὰρ ὁ Μαιάδος υἱὸν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων
παντοίῃ φιλότητι· χάριν δ' ἐπέθηκε Κρονίων.

Fateberis, Ilgeni, tam elegantem esse et venustum hunc hymni exitum, ut, nisi ita scripsit poeta, certe sic eum scripsisse optandum sit. Sed

bene intelligo, non esse mihi sperandum, te ante in meam sententiam concessurum esse, quam etiam reliquas difficultates, quae sane haud leves sunt, expediverim. Conabor ergo.

Atque inprimis hoc velim teneas, bis data dona esse Mercurio, et iterum quidem sine idonea caussa. Hinc proclive est colligere, duas hic diversas narrationes confusas esse, unam, quae quum simplicior tum antiquior est, flagellum et boves pro cithara accepisse Mercurium, alteram, caduceum pro cithara accepisse, non impetrata arte vaticinandi. Haec narratio, quam, ut magis meditatam, recentiorem esse credo, non est tamen ab illo interpolatore facta, qui tot alios huius hymni locos mutavit, quod quidem satis arguit oratio, quae antiqua est, nec molestis ornamentis onerata. Itane vero? Etiamne tertium poetam introducamus? Sic est. Nolo sententiam meam argumentis probabilem reddere. Si probabilis est, sponte placebit, quum exposuero, qua ratione rem contigisse existimem. Homerus ille, qui primus hunc hymnum condidit, Mercurium ab Apolline flagellum et boves pro cithara accepisse, et ita eos in gratiam rediisse narraverat. Alius poeta, sive rhapsodum dicere malis, itidem ille antiquus, sed isto priore tamen recentior, quum Homericum hymnum decantaret, in extrema carminis parte, quod aliam sequeretur fabulam, dis-

cedendum ab Homero iudicavit. Hic ergo Mercurium introduxit rogantem, ut ſibi pro cithara ars vaticinandi concederetur; Apollinem autem, qui hanc illi artem ſe daturum negaret, caduceo et fatidicis ſortibus citharam fecit redimere. Ita conformatum habuit Homericum hymnum is interpolator, cuius mutationes in plurimis huius hymni locis deprehendimus: qui quum in extrema hymni parte nihil interpolaverit, niſi quod in rhapſodi illius carmine fuiſſe videatur, iure exiſtimabitur ea ignoraſſe, quae Homerum in fine carminis expoſuiſſe iudicavimus. Librarius denique, cui haec, quam nos habemus, carminis forma debetur, et veterem Homericum hymnum, et illum veteris rhapſodi ab recentiore poeta interpolatum uſurpavit: unde utriusque lectiones coniunxit, additis etiam verſibus minoris hymni, de quo ſupra eſt expoſitum. Haec ſi recte coniecimus, vetuſtiſſimus ille Homeri hymnus, a v. 464. huius editionis, hos verſus complectebatur: 464–472. 474–477. 491–508. 574. 575.

τὸν δ' Ἑρμῆς μύθοισιν ἀμείβετο κερδαλέοισιν·
 Εἰρωτᾷς μ' ἑκάεργε περιφραδές· αὐτὰρ ἐγὼ σοὶ
τέχνης ἡμετέρης ἐπιβήμεναι οὔτι μεγαίρω.
σήμερον εἰδήσεις· ἐθέλω δέ τοι ἤπιος εἶναι
βουλῇ καὶ μύθοισι· σὺ δὲ φρεσὶ πάντ' εὖ οἶδας.
πρῶτος γὰρ Διὸς υἱὲ μετ' ἀθανάτοισι θαάσσεις
ἠΰς τε κρατερός τε· φιλεῖ δέ σε μητίετα Ζεὺς

ἐκ πάσης ὁσίης, ἔπορεν δέ τοι ἀγλαὰ δῶρα,
καὶ τιμάς· σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς
μαντείας, ἑκάεργε, Διὸς πάρα, θέσφατα πάντα.
474 σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
μέλπεο καὶ κιθάριζε, καὶ ἀγλαΐας ἀλέγυνε,
δέγμενος ἐξ ἐμέθεν· σὺ δέ μοι, φίλε, κῦδος ὄπαζε.
491 ἡμεῖς δ' αὖτ' ὄρεός τε καὶ ἱπποβότου πεδίοιο
βουσὶ νομοὺς ἑκάεργε νεμεύσομεν ἀγραύλοισιν·
ἔνθεν ἅλις τέξουσι βόες ταύροισι μιγεῖσαι
μίγδην θηλείας τε καὶ ἄρσενας· οὐδέ τί σε χρὴ
κερδαλέον περ ἐόντα περιζαμενῶς κεχολῶσθαι.
Ὣς εἰπὼν ὤρεξ'· ὁ δ' ἐδέξατο Φοῖβος Ἀπόλλων·
Ἑρμῇ δ' ἐγγυάλιξεν ἔχειν μάστιγα φαεινήν,
βουκολίας τ' ἐπέτελλεν· ἔδεκτο δὲ Μαιάδος υἱὸς
γηθήσας· κίθαριν δὲ λαβὼν ἑκάεργος Ἀπόλλων,
πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἣ δ' ὕπο νέρθεν
ἱμερόεν κονάβησε· θεὸς δ' ὕπο καλὸν ἄειδεν.
Ἔνθα βόας μὲν ἔπειτα ποτὶ ζάθεον λειμῶνα
ἐτραπέτην· αὐτοὶ δὲ, Διὸς περικαλλέα τέκνα,
ἄψοῤῥοι πρὸς Ὄλυμπον ἀγάννιφον ἐῤῥώσαντο,
τερπόμενοι φόρμιγγι· χάρη δ' ἄρα μητίετα Ζεύς,
ἄμφω δ' ἐς φιλότητα συνήγαγε· καὶ ῥ' ὁ μὲν Ἑρμῆς
Λητοΐδην ἐφίλησε διαμπερὲς ἐξέτι κείνου,
574 αὐτὰρ ὁ Μαίαδος υἱὸν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων
παντοίῃ φιλότητι· χάριν δ' ἐπέθηκε Κρονίων.

Quaeramus nunc, quomodo omnem illam carminis partem rhapſodus iſte Homero recentior, et interpolator eius conformaſſe videantur. Temerarius eſſem, ſi quidquam in tali cauſſa pro certo affirmare vellem. Immo nihil aliud propoſitum habeo, quam, quum hic manifeſto quaedam luxata ſint diverſorum poetarum disſenſione, ut leniſſima ratione et communia omnium et propria ſingulorum eruam. Atque intelligetur, ſi ab uno loco disceſſeris, hoc paene perfici poſſe omittendis verſibus Homerici hymni, pro quibus reliqui duo poetae alios verſus repoſuerint. Illum autem locum dico, qui in media oratione Apollinis Mercurii verba habet. Haec quamvis levi, non falſo tamen, ut arbitror, indicio ſedi ſuae reſtituentur.

Sed quo facilius iudicari de hac omni coniectura poſſit, en tibi ipſum carminis finem, qualem ab illo rhapſodo conſtitutum exiſtimo.

463 Τὸν δ' Ἑρμῆς μύθοισιν ἀμείβετο κερδαλέοισιν·
Εἰρωτᾷς μ' ἑκάεργε περιφραδές· αὐτὰρ ἐγὼ σοὶ
τέχνης ἡμετέρης ἐπιβήμεναι οὔτι μεγαίρω.
σήμερον εἰδήσεις· ἐθέλω δέ τοι ἤπιος εἶναι
βουλῇ καὶ μύθοισι· σὺ δὲ φρεσὶ πάντ' εὖ οἶδας.
πρῶτος γὰρ Διὸς υἱὲ μετ' ἀθανάτοισι θαάσσεις,
ἠΰς τε κρατερός τε· φιλεῖ δέ σε μητίετα Ζεὺς
ἐκ πάσης ὁσίης, ἔπορεν δέ τοι αγλαὰ δῶρα

καὶ τιμάς· σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς
μαντείας, ἑκάεργε, Διὸς πάρα, θέσφατα πάντα.
σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
μέλπεο καὶ κιθάριζε, καὶ ἀγλαΐας ἀλέγυνε
δέγμενος ἐξ ἐμέθεν· σὺ δέ μοι, φίλε, δῶρον ὄπαζε,
540 θέσφατα πιφαύσκων, ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς.
ἀνθρώπων δ' ἄλλον δηλήσομαι, ἄλλον ὀνήσω
πολλὰ περιτροπέων ἀμεγάρτων φῦλ' ἀνθρώπων.
καί κεν ἐμῆς ὀμφῆς ἀπονήσεται, ὅστις ἂν ἔλθῃ
φωνῇ καὶ πτερύγεσσι τελ,ηέντων οἰωνῶν·
οὗτος ἐμῆς ὀμφῆς ἀπονήσεται, οὐδ' ἀπατήσω.
ὃς δέ κε μαψιλόγοισι πιθήσας οἰωνοῖσιν
μαντείην ἐθέλῃσι παρὲκ νόον ἐξερεείνειν
ἡμετέρην, νοέειν δὲ θεῶν πλέον αἰὲν ἐόντων,
φήμ', ἁλίην ὁδὸν εἶσιν, ἐγὼ δέ κε δῶρα δεχοίμην.
496 Ὣς εἰπὼν ὤρεξ'· ὁ δ' ἐδέξατο Φοῖβος Ἀπόλλων
499 γηθήσας· κίθαριν δὲ λαβὼν ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς
501 πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἡ δ' ὕπο νέρθεν
ἱμερόεν κονάβησε· θεὸς δ' ὕπο καλὸν ἄειδεν.
513 καὶ τότε Λητοΐδης Ἑρμῆν πρὸς μῦθον ἔειπεν·
Δείδια Μαιάδος υἱὲ, διάκτορε, ποικιλομῆτα,
μή μοι ἅμα κλέψῃς κίθαριν καὶ καμπύλα τόξα·
τιμὴν γὰρ πὰρ Ζηνὸς ἔχεις, ἐπαμοίβια ἔργα
θήσειν ἀνθρώποισι κατὰ χθόνα πουλυβότειραν.
ἀλλ' εἴ μοι τλαίης γε θεῶν μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
ἢ κεφαλῇ νεύσας, ἠὲ Στυγὸς ὄβριμον ὕδωρ,
πάντ' ἂν ἐμῷ θυμῷ κεχαρισμένα καὶ φίλα ἔρδειν.

Καὶ τότε Μαιάδος υἱὸς ὑποσχόμενος κατένευσεν,
μή ποτ' ἀποκλέψειν, ὅσ' ἑκηβόλος ἐκτεάτισται,
μηδέ ποτ' ἐμπελάσειν πυκινῷ δόμῳ· αὐτὰρ Ἀπόλλων
Λητοΐδης κατένευσεν ἐπ' ἄρθμῳ καὶ φιλότητι,
μή τινα φίλτερον ἄλλον ἐν ἀθανάτοισιν ἔσεσθαι,
μήτε θεὸν, μήτ' ἄνδρα, Διὸς γόνον· ἐν δὲ τέλειον
σύμβολον ἀθανάτων ποιήσομαι, ἠδ' ἅμα πάντων
πιστὸν ἐμῷ θυμῷ καὶ τίμιον· αὐτὰρ ἔπειτα
ὄλβου καὶ πλούτου δώσω περικαλλέα ῥάβδον,
χρυσείην, τριπέτηλον, ἀκήριον, ἥ σε φυλάξει
πάντας ἐπικραίνουσ' οἴμους ἐπέων τε καὶ ἔργων
τῶν ἀγαθῶν, ὅσα φημὶ δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς.
μαντείην δὲ φέριστε, διοτρεφές, ἣν ἐρεείνεις,
οὔτε σὲ θέσφατόν ἐστι δαήμεναι, οὔτε τίν' ἄλλον
ἀθανάτων· τὸ γὰρ οἶδε Διὸς νόος· αὐτὰρ ἔγωγε
πιστωθεὶς κατένευσα, καὶ ὤμοσα καρτερὸν ὅρκον,
μή τινα νόσφιν ἐμεῖο θεῶν αἰειγενετάων
ἄλλον γ' εἴσεσθαι Ζηνὸς πυκινόφρονα βουλήν.
καὶ σὺ, κασίγνητε χρυσόρῥαπι, μή με κέλευε
θέσφατα πιφαύσκειν, ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς.
550 ἄλλο δέ τοι ἐρέω, Μαίης ἐρικυδέος υἱέ·
552 Θριαὶ γάρ τινες εἰσί, κασίγνηται γεγαυῖαι,
παρθένοι, ὠκείῃσιν ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσιν,
τρεῖς· κατὰ δὲ κρατὸς πεπαλαγμέναι ἄλφιτα λευκά,

* * *

οἰκία ναιετάουσιν ὑπὸ πτυχὶ Παρνησσοῖο,
μαντείης ἀπάνευθε διδάσκαλοι, ἣν ἐπὶ βουσὶν
παῖς ἔτ᾽ ἐὼν μελέτησα· πατὴρ δ᾽ ἐμὸς οὐκ ἀλέγιζεν.
ἐντεῦθεν δὴ ἔπειτα ποτώμεναι ἄλλοτ᾽ ἐπ᾽ ἄλλῃ,
κηρία βόσκονται, καί τε κραίνουσιν ἕκαστα.
αἳ δ᾽ ὅτε μὲν θύιωσιν ἐδηδυῖαι μέλι χλωρόν,
προφρονέως ἐθέλουσιν ἀληθείην ἀγορεύειν·
ἢν δ᾽ ἀπονοσφισθῶσι θεῶν ἡδεῖαν ἐδωδήν,
πειρῶνται δὴ ἔπειτα παρὲξ ὁδὸν ἡγεμονεύειν.
τάς τοι ἔπειτα δίδωμι· σὺ δ᾽ ἀτρεκέως ἐρεείνων,
σὴν αὐτοῦ φρένα τέρπε· καὶ εἰ βροτὸν ἄνδρα δαήης,
πολλάκι σῆς ὀμφῆς ἀπονήσεται, αἴ κε τύχησιν.
574 Οὕτω Μαιάδος υἱὸν ἄναξ ἐφίλησεν Ἀπόλλων
παντοίῃ φιλότητι· χάριν δ᾽ ἐπέθηκε Κρονίων.

Haec tam commode procedunt, ut vix poſſint melius. Mercurius citharam dat Apollini, ſibique futuri ſcientiam dari cupit. Accipit citharam Apollo, ſed, quoniam non fidit Mercurio, iubet eum ante omnia amicitiam iureiurando promittere. Quod ubi is fecit, tum demum reſpondet.

Eſto igitur hoc nobis poſitum, ita ferme rhapſodum haec conſtituiſſe. Hinc vero nondum poterit probabilis ratio confici, qua tantam huius loci corruptionem ortam eſſe credamus: praeſer-

tim quum, nisi temere aliquid statuere volumus, librarius, qui hunc hymnum in eam formam redegit, quae in nostris est libris, non videatur rhapsodi illius carmen ab recentioris poetae interpolationibus purum habuisse. Quare videamus, quomodo hic interpolator verba veteris rhapsodi mutaverit, si forte hinc origo perturbationis explicari queat. Et nisi fallor, haud contemnendum indicium praebet hic versus,

σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς,

qui quum duobus in locis legatur, in neutro recte legitur. Primum in his occurrit, v. 471.

σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς
μαντείας, ἑκάεργε, Διὸς πάρα, θέσφατα πάντα.
καὶ νῦν αὐτὸς ἐγὼ παῖδ' ἀφνειὸν δεδάηκα.
σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
μέλπεο καὶ κιθάριζε.

Iterum in his v. 486. ubi de cithara sermo est:

ὃς δέ κεν αὐτὴν
νῆϊς ἐὼν τὸ πρῶτον ἐπιζαφελῶς ἐρεείνῃ,
μὰψ αὔτως κεν ἔπειτα μετήορά τε θρυλλίζοι.
σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
καί τοι ἐγὼ δώσω ταύτην, Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε.

Priore loco tu, Ilgeni, illum versum deleri voluisti, altero alii. Recte factum puto utrumque, sed ita, si simul in utroque loco servetur. In priore quidem loco tantum abest, ut is versus

offensioni sit, ut egregie ei loco conveniat, modo absit versus, qui praecedit, manifesto ille perpetuitatem orationis turbans. Quo versu, ut supra feci, eiecto, ipsam restitui arbitror quum Homeri, tum veteris rhapsodi orationem. Sed unde iste versus? Ab interpolatore puto, qui omisso versu,

σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς,

quo versu infra usurus esset, ita scripserat:

σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς
μαντείας, ἑκάεργε, Διὸς πάρα, θέσφατα πάντα.
καὶ νῦν αὐτὸς ἐγώ σε πανομφαῖον δεδάηκα.
ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
εὐμόλπει.

Sensus in illo versu, quem emendatum dedi, hic est: *ipse nunc intellexi, te vatem esse.* Apollo enim, ut ait Apollodorus, μαθὼν ἐκ τῆς μαντικῆς τὸν κεκλοφότα, deprehenderat Mercurium. Et eadem res etiam in hymno v. 213. narrata fuerat. Venio nunc ad alterum locum, in quo legitur versus,

σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.

Ibi vero neque cum praecedentibus, neque cum sequentibus verbis cohaeret, ita ut non mirer, si cui delendus videatur. Quamquam quum errore hic repetitum esse non sit verisimile, propterea quod nulla erroris caussa apparet, consultius esse puto, indagare unde inseri potuerit. Enim-

vero hoc hariolari esse scio: at nihil aliud consequi volo, quam ut ne incredibilia dixisse videar. Igitur sic fortasse res accidit. Librarius, qui Homeri hymnum et veteris rhapsodi carmen ab recentiore poeta interpolatum coniungebat, duorum voluminum comparatione distractus, quum omisso per errorem illo versu hunc scripsisset,

*καί τοι ἐγὼ δώσω ταύτην, Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε,*

quae ibi sequebantur, infra scripturus, subiecit haec ex Homerico hymno,

*ἡμεῖς δ᾽ αὖτ᾽ ὄρεός τε καὶ ἱπποβότου πεδίοιο,*

et reliqua usque ad finem illius orationis: tum neglectis, quae supra omissa hic adiicere voluerat, perrexit scribere, quae antiquus Homeri hymnus suppeditabat. Deinde versu 540. monitus,

*θέσφατα πιφαύσκειν, ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς,*

qui, nisi totus, maximam certe partem in versibus supra omissis erat, animadverso errore, ibi addidit, quae supra neglexisset: versum autem, qui hunc, quem apposui, praecedebat,

*σοὶ δ᾽ αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς,*

in margine adscripsit ad eum locum, ubi cum reliquis omissis versibus reponendus esset, signis fortasse quibusdam ea de re monens. Versus ille ab librariis, qui hunc codicem descripserunt, ante v. 490. insertus est, quum post eum collocari deberet. Sic in hymno Apollinis v. 96. ex margine in alienum locum venit. Haec si habent

aliquam veri ſpeciem, in hymno interpolatoris ita ſcriptum fuiſſe crediderim:

471 σὲ δέ φασι δαήμεναι ἐκ Διὸς ὀμφῆς
μαντείας, ἑκάεργε, Διὸς πάρα θέσφατα πάντα.
καὶ νῦν αὐτὸς ἐγώ σε πανομφαῖον δεδάηκα.
475 ἀλλ' ἐπεὶ οὖν τοι θυμὸς ἐπιθύει κιθαρίζειν,
478 εὐμόλπει μετὰ χερσὶν ἔχων λιγύφωνον ἑταίρην,
καλὰ καὶ εὖ κατὰ κόσμον ἐπισταμένην ἀγορεύειν.
εὔκηλος μὲν ἔπειτα φέρειν ἐς δαῖτα θάλειαν
καὶ χορὸν ἱμερόεντα, καὶ ἐς φιλοκυδέα κῶμον,
εὐφροσύνην νυκτός τε καὶ ἤματος. ὅστις ἄρ' αὐτὴν
τέχνῃ καὶ σοφίῃ δεδαημένος ἐξερεείνῃ,
φθεγγομένη παντοῖα νόῳ χαρίεντα διδάσκει,
ῥεῖα συνηθείῃσιν ἀθυρομένη μαλακῇσιν,
ἐργασίην φεύγουσα δυήπαθον· ὃς δέ κεν αὐτὴν
νῆϊς ἐὼν τὸ πρῶτον ἐπιζαφελῶς ἐρεείνῃ,
μὰψ αὔτως κεν ἔπειτα μετήορά τε θρυλλίζοι.
490 καί τοι ἐγὼ δώσω ταύτην, Διὸς ἀγλαὲ κοῦρε.
489 σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς.
540 τῷ μοι πιφαύσκειν, ὅσα μήδεται εὐρύοπα Ζεύς.
ἀνθρώπων δ' ἄλλον δηλήσομαι, ἄλλον ὀνήσω,

et reliqua, usque ad v. 561. inter quem et verſum 574. ſeptem alios verſus inſeruit interpolator.

Vides, Ilgeni, hac ratione cauſſas certe aperiri, quibus tanta perturbatio naſci potuerit. Vtrum vero haec ſatis probabiliter disputaverim, an melior aliqua et facilior invenini poſſit ratio, alii iudicabunt, donec forſitan aliquid lucis e

bonis codicibus accesserit. Sed haec quidem de hymno Mercurii.

Veneris hymnus, carmen Homeri nomine dignissimum, parem cum reliquis maioribus hymnis sortem habuit. Atque in hoc quoque carmine codex Moscoviensis, secundam maxime recensionem sequutus, varias lectiones exhibet, quae vel solae de interpolatione dubitare prohibeant, ut v. 18. πουλύχρυσα δὲ τόξα, quod corruptum videtur ex his τῇ πολύχρυσ' ἅδε τόξα, pro καὶ γὰρ τῇ ἅδε τόξα; v. 66. κῆπον, nisi hic error est, pro Κύπρον; v. 67. νέφεσι ῥίμφα pro νεφέεσσι θοῶς; v. 205. seqq. ἐπιοινοχοεύειν et τετιμένον et ἀφύσσειν pro ἐπιοινοχοεύοι et τετιμένος et ἀφύσσων; v. 215. ἶσα θεοῖσιν pro ἤματα πάντα. Multo magis duplicem recensionem aliae aliorum codicum vulgatarumque editionum lectiones produnt, ut v. 62.

ἀμβρότῳ, οἷα θεοὺς ἐπενήνοθεν αἰὲν ἐόντας,

cui alius versus subiectus est, haud dubie pro hoc in secunda recensione positus:

ἀμβροσίῳ, ἑδανῷ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.

Sic etiam v. 97. 98.

ἤ τις νυμφάων, αἵτ' ἄλσεα καλὰ νέμονται,
ἢ νυμφέων, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσιν,

quorum alter pariter in secunda recensione pro priore positus fuerit necesse est. Et v. 156.

οὔ σφιν ἀεικελίη νυὸς ἔσσομαι, ἀλλ' εἰκυῖα.
εἴ τοι ἀεικελίη γυνὴ ἔσσομαι, ἠὲ καὶ οὐκί.

Ruhnkenius ex his duobus verſibus, quorum alter alterum excludit, unum faciebat elegantiſſimum,

εἴ σφιν ἀεικελίη νυὸς ἔσσομαι, ἠὲ καὶ οὐκί,

parum tamen probabiliter de ea emendatione diſputans. Qui ſi animadvertiſſet, codicum Pariſienſium lectione, pro binis verſibus hunc unum exhibentium,

οὔ σφιν ἀεικελίη γυνὴ ἔσσομαι ἠὲ καὶ οὐκί,

etiam confirmari vulgatam ſcripturam, ab emendatione abstinuiſſet. Prior enim iſtorum verſuum interpolatoris eſt, nec verba ἀλλ' εἰκυῖα ſunt ab interprete adſcripta. Sic in hymno Cereris v. 213. ἐπεὶ οὔ σε κακῶν ἄπ' ἔολπα τοκήων ἔμμεναι, ἀλλ' ἀγαθῶν. Tam aperta haec ſunt exempla, ut neminem repugnaturum ſperemus, ſi alias quoque huius hymni difficultates eodem modo expedire ſtuduerimus. Et multo hic facilius negotium eſt, quam in hymno Mercurii: quum et pauca interpolator mutaſſe videatur, neque omnino tanta ſit huius hymni, quanta illius, corruptio.

Prima interpolationis veſtigia inveniri in his puto, quae de Minerva dicuntur v. 9.

οὐ γάρ οἱ εὔαδεν ἔργα πολυχρύσου Ἀφροδίτης,
ἀλλ' ἄρα οἱ πόλεμοί τε ἅδον καὶ ἔργον Ἄρηος,
ὑσμῖναί τε, μάχαι τε, καὶ ἀγλαὰ ἔργ' ἀλεγύνειν.
πρώτη τέκτονας ἄνδρας ἐπιχθονίοις ἐδίδαξεν
ποιῆσαι σατίνας τε καὶ ἅρματα ποικίλα χαλκῷ.
ἡ δέ τε παρθενικὰς ἁπαλόχροας ἐν μεγάροισιν

ἀγλαὰ ἔργ᾽ ἐδίδαξεν, ἐπὶ φρεσὶ θεῖσα ἑκάστῃ.

In primo horum versuum metri caussa aut οὐ γάρ οἱ ἅδεν ἔργα scribendum est, aut οὔτι οἱ εὔαδεν ἔργα. Nisi fallor, utraque lectio coniuncta est ab librariis, quarum illa, οὐ γάρ οἱ ἅδεν ἔργα, ut simplicior, ita antiquior esse, altera autem, quae orationem habet magis abruptam, interpolatori deberi videtur. Hic quidem eodem indicio deprehenditur etiam v. 12. quem versum cum eo, qui sequitur, propter id ipsum, quod non sunt bene nexi cum praecedentibus, ab antiquo poeta abiudicandos puto. Accedit inusitatum apud veteres, quod sciam, vocabulum σατίνη. Neque vero repugnaverim, si quis v. 14. ἠδέ τε scribendum et hunc quoque versum cum v. 15. interpolatori tribuendum existimet. Mox interpolatoris acumen in v. 23. iam alii animadverterunt.

Difficilius est de hoc loco iudicare:

αὐτὴ δ᾽ ἐς κλισίας εὐποιήτους ἀφίκανεν.
τὸν δ᾽ εὗρ᾽ ἐν σταθμοῖσι λελειμμένον οἶον ἀπ᾽ ἄλλων,
Ἀγχίσην ἥρωα, θεῶν ἄπο κάλλος ἔχοντα.
οἱ δ᾽ ἅμα βουσὶν ἕποντο νομοὺς κατὰ ποιήεντας
πάντες· ὁ δ᾽ ἐν σταθμοῖσι λελειμμένος οἶος ἀπ᾽ ἄλλων
πωλεῖτ᾽ ἔνθα καὶ ἔνθα διαπρύσιον κιθαρίζων.
στῆ δ᾽ αὐτοῦ προπάροιθε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη.

Non auſim ullum ex his verſibus damnare. Verumtamen quis neget duorum poetarum verſus in hoc loco coniungi potuiſſe, quorum alter ita ſcripſerit:

75 αὐτὴ δ' ἐς κλισίας εὐποιήτους ἀφίκανεν.
τὸν δ' εὗρ' ἐν σταθμοῖσι λελειμμένον οἶον ἀπ' ἄλλων,
Ἀγχίσην ἥρωα, θεῶν ἄπο κάλλος ἔχοντα.
81 στῆ δ' αὐτοῦ προπάροιθε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη.

alter autem ſic:

75 αὐτὴ δ' ἐς κλισίας εὐποιήτους ἀφίκανεν·
78 οἱ δ' ἅμα βουσὶν ἕποντο νομοὺς κατὰ ποιήεντας
πάντες· ὁ δ' ἐν σταθμοῖσι λελειμμένος οἶος ἀπ' ἄλλων
πωλεῖτ' ἔνθα καὶ ἔνθα διαπρύσιον κιθαρίζων.
στῆ δ' αὐτοῦ προπάροιθε Διὸς θυγάτηρ Ἀφροδίτη.

Paullo poſt haec leguntur:

92 χαῖρε ἄνασσ', ἥτις μακάρων τάδε δώμαθ' ἱκάνεις,
Ἄρτεμις, ἢ Λητώ, ἠὲ χρυσέη Ἀφροδίτη,
ἢ Θέμις ἠϋγενής, ἠὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη,
ἤ πού τις Χαρίτων δεῦρ' ἤλυθες, αἵ τε θεοῖσιν
πᾶσιν ἑταιρίζουσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται,
ἤ τις νυμφάων, αἵ τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται,
ἢ νυμφέων, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσιν,
καὶ πηγὰς ποταμῶν, καὶ πίσεα ποιήεντα.

At quam inepta eſt tot dearum enumeratio,

Quae, ut ego quidem exiſtimo, antiquum poetam prorſus dedecet. Is ſic ſcripſerat:

92 χαῖρε ἄνασσ᾽, ἥτις μακάρων τάδε δώμαθ᾽ ἱκάνεις,
Ἄρτεμις, ἢ Λητώ, ἠὲ χρυσέη Ἀφροδίτη·
95 ἤ πού τις Χαρίτων δεῦρ᾽ ἤλυθες, αἵτε θεοῖσιν
πᾶσιν ἑταιρίζουσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται,
98 ἤ τις νυμφάων, αἵτ᾽ ἄλσεα καλὰ νέμονται,
καὶ πηγὰς ποταμῶν καὶ πίσεα ποιήεντα.

Niſi hic etiam duos verſus, qui medii ſunt, non habuit. Interpolator ita haec mutavit:

92 χαῖρε ἄνασσ᾽, ἥτις μακάρων τάδε δώμαθ᾽ ἱκάνεις,
Ἄρτεμις, ἢ Λητώ, ἠὲ χρυσέη Ἀφροδίτη,
ἢ Θέμις ἠϋγενής, ἠὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη·
ἤ πού τις Χαρίτων δεῦρ᾽ ἤλυθες, αἵτε θεοῖσιν
πᾶσιν ἑταιρίζουσι, καὶ ἀθάνατοι καλέονται,
98 ἢ νυμφέων, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσιν.

Verſu 113. haec ſcripta videmus:

γλῶσσαν δ᾽ ὑμετέρην τε καὶ ἡμετέρην σάφα οἶδα.
Τρωὰς γὰρ μεγάρῳ με τροφὸς τρέφεν· ἡ δὲ διαπρὸ
σμικρὴν παῖδ᾽ ἀτίταλλε, φίλης παρὰ μητρὸς ἑλοῦσα.
ὡς δή τοι γλῶσσάν γε καὶ ὑμετέρην εὖ οἶδα.

Ruhnkenius ultimum in his verſibus, ut illepidum et inficetum, damnavit; cui aſſentiens Matthiae etiam primum eiicit, longe inſulſiſſimum eſſe ratus, ſi Venus ſuam ſe linguam patriam noſſe profiteatur. Enimvero inſulſum eſſet, ſi

hoc ſolum diceret: ſed quum et aliam linguam et patriam ſe noſſe dicat, quid dicit aliud, quam praeter patriam linguam ſe Troianam quoque didiciſſe? Et hoc verſu eiecto, quis non videat, duos ſequentes, in quibus de Troiana nutrice eſt, ineptos fore, ita ut uno deleto maiorem ſequi ruinam oporteat? Mihi verſus iſte ob ipſam dictionis ſimplicitatem et venuſtiſſimus et antiquiſſimus videtur. Sed interpolator, fortaſſis hac ipſa ſimplicitate parum delectatus, eum omiſit, et illum addidit, quem damnat acuto nec temerario iudicio Ruhnkenius.

Etiam quae v. 213. leguntur,

*τούς οἱ δῶρον ἔδωκεν ἔχειν· εἶπεν δὲ ἕκαστα*
*Ζηνὸς ἐφημοσύνῃσι διάκτορος Ἀργειφόντης,*
*ὡς ἔοι ἀθάνατος καὶ ἀγήρως ἶσα θεοῖσιν,*

ſic videntur ab interpolatore conſtituta eſſe, quod ſtatim ſequeretur:

*αὐτὰρ ἐπειδὴ Ζηνὸς ὅγ' ἔκλυεν ἀγγελιάων.*

Lectio librorum enim, *εἶπέν τε ἕκαστα*, veteris poetae carmen ita habuiſſe arguit:

*τούς οἱ δῶρον ἔδωκεν ἔχειν, εἶπέν τε ἕκαστα,*
*ὡς ἔοι ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα.*

Neque dubitatione vacuus eſt locus, qui eſt a v. 245. ad 256. Quamquam hic quidem certis indiciis deſtituimur. Apertiora ſunt interpolationis veſtigia in his, quae paullo poſt de nymphis ſubiiciuntur:

τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάται ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
γεινομένῃσιν ἔφυσαν ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ,
καλαί, τηλεθάουσαι, ἐν οὔρεσιν ὑψηλοῖσιν
ἑστᾶσ' ἠλίβατοι· τεμένη δέ ἑ κικλήσκουσιν
ἀθανάτων· τὰς δ' οὔτι βροτοὶ κείρουσι σιδήρῳ.

Neminem fore putamus, qui non videat, duos verſus, qui ultimi ſunt, a prioris poetae hymno abſuiſſe. Eos interpolator poſuit pro duobus aliis verſibus, hoc modo:

τῇσι δ' ἅμ' ἢ ἐλάται ἠὲ δρύες ὑψικάρηνοι
ἑστᾶσ' ἠλίβατοι· τεμένη δέ ἑ κικλήσκουσιν
ἀθανάτων· τὰς δ' οὔτι βροτοὶ κείρουσι σιδήρῳ.

Eodem modo mox, quum vetus poeta ſcripſiſſet,

τὸν μὲν ἐπὴν δὴ πρῶτον ἕλῃ πολυήρατος ἥβη,
ἄξουσίν τοι δεῦρο θεαὶ δείξουσί τε παῖδα,

pro his verſibus interpolator hos exhibuit:

σοὶ δ' ἐγὼ ὄφρα κε ταῦτα μετὰ φρεσὶ πάντα διέλθω,
ἐς πέμπτον ἔτος αὖτις ἐλεύσομαι, υἱὸν ἄγουσα.

Pervenimus denique ad hymnum in Cererem: quem ſi, pariter ut priores, ab aliquo interpolatore refictum eſſe contenderimus, non erit metuendum, ne multi nobis contradicant. Nam etſi in hoc carmine non licet illo adminiculo uti, quod in reliquis hymnis codicum diſcrepantia offerebat, tamen quum ipſe hymnus, qualem eum nunc habemus, quibusdam in locis alienam manum prodit, tum, quod etiam gravius eſt, Pau-

ſaniae auctoritas de interpolatione admonet. Et illa disſenſio, quae eſt inter hunc hymnum et ea, quae tamquam ex eo profert Pauſanias, iam te, Ilgeni, movit, ut Pauſaniam aliud Homeri carmen reſpexiſſe, quem autem nos habemus hymnum, eum Homerici illius imitatione factum eſſe crederes. A qua opinione tua ipſe vides quam parum abſit haec ratio, quam ego eſſe amplectendam puto. Similia in animadverſionibus ad Homeri hymnos disputavit Matthiae, niſi quod is, quum recte animadvertiſſet, qui loci laborarent, ad eam tamen ſe perduci ſententiam paſſus eſt, quam vereor ut aliis facile probare poſſit. Nam quum Pauſaniam, quae ex hoc hymno affert, praeter unum locum, ſed eum non ſatis certum, e poſteriore hymni parte depromere; quae autem in priore parte leguntur, Pamphi, non Homeri teſtimonio firmare videret; quumque illam ipſam poſteriorem hymni partem non ſatis cum Pauſaniae dictis conſentire intelligeret: omnia, quae ſunt a verſu 300. usque ad finem ex Homerici hymni reliquiis a grammatico aliquo compoſita, et hymno illius poetae, cuius ſunt 300. priores verſus, addita eſſe exiſtimavit. At quae hic dicit de grammatico, ſi ex eo numero aliquem intelligeret, in quo poetae fuerunt nobiliſſimi, haberet fortaſſe, quo aliquem ad ſuas partes perduceret: ſed quales ipſe appellare ſolet grammati-

cos, ab his valde aliena eſt tanta artis poeticae peritia. Quae vero de priore hymni parte disputat, magnopere vereor, ne duos Pauſaniae locos, quibus illa ſententia nititur, longe aliter interpretari debeamus. Horum locorum unus eſt lib. IX. cap. 31. extremo: *νάρκισσον δὲ ἄνθος ἡ γῆ καὶ πρότερον ἔφυεν, ἐμοὶ δοκεῖν, εἰ τοῖς Πάμφω τεκμαίρεσθαι χρή τι ἡμᾶς ἔπεσι. γεγονὼς γὰρ πολλοῖς πρότερον ἔτεσιν ἢ Νάρκισσος ὁ Θεσπιεύς, κόρην τὴν Δήμητρός φησιν ἁρπασθῆναι παίζουσαν καὶ ἄνθη συλλέγουσαν· ἁρπασθῆναι δὲ οὐκ ἴοις ἀπατηθεῖσαν, ἀλλὰ ναρκίσσοις.* Atqui hoc ille loco Homeri teſtimonium ne poterat quidem afferre, quia hunc Theſpienſi Narciſſo, cuius aetas in Tireſiae tempora incidiſſe videtur, iuniorem eſſe credidit. Alter locus maiorem habet dubitationem. Sic enim I. 39. ſcribit Pauſanias: *ἑτέρα δὲ ὁδὸς ἐξ Ἐλευσῖνος πρὸς Μέγαρα ἄγει. ταύτην ἐρχομένοις τὴν ὁδὸν Φρέαρ ἐστὶν ἄνθινον* (Ald. *ἄνθιον*) *καλούμενον. ἐποίησε δὲ Πάμφως ἐπὶ τούτῳ τῷ Φρέατι καθῆσθαι Δήμητρα μετὰ τὴν ἁρπαγὴν τῆς παιδός, γραῒ εἰκασμένην· ἐντεῦθεν δὲ αὐτὴν ἅτε γυναῖκα Ἀργείαν ὑπὸ τῶν θυγατέρων τῶν Κελεοῦ κομισθῆναι παρὰ τὴν μητέρα, καί οἱ τὴν Μετάνειραν οὕτω πιστεῦσαι τοῦ παιδὸς τὴν ἀνατροφήν.* In quo loco id mirum eſt, quod Pauſanias non addidit, diverſa ab Homero tradita eſſe. Quamquam hoc non magni momenti eſſe puto. Potuit enim Pauſanias Home-

rum eodem modo praeterire, ut illos praeteriit, qui ad fontem Callichorum consedisse Cererem tradiderant. Maius esset in isto silentio pondus, si quis Ruhnkenio duce Pamphum cum Homero consensisse et fontem illum vocasse Parthenium putaret. Sed parum probabilis est ista Ruhnkenii opinio, nec quidquam habet, quo ei vel aliqua veri species conciliari possit. Erunt fortasse, qui Pausaniae silentium sic interpretentur, ut Homerum ab eo non potuisse testem advocari censeant, quod is fontis nomen omisisset. Certe durissima oratio, quae est in hymni v. 98. 99.

ἕζετο δ' ἐγγὺς ὁδοῖο, φίλον τετιημένη ἦτορ,

Παρθενίῳ φρέατι, ὅθεν ὑδρεύοντο πολῖται,

Wolfium videtur movisse, ut πὰρ θείῳ φρέατι scriberet. Haec quidem ratio etsi hanc dubitationem removet, quae est de fontis nomine, vereor tamen ne ob alias caussas, de quibus in notis dixi, admitti nequeat. Sed paratum est aliud remedium nomen fontis ab Homero omissum censentibus. Etenim fieri potuit, ut aut nomen illud Parthenii fontis, aut totus versus, qui eius fontis mentionem continet, ab interpolatore adiiceretur, quandoquidem etiam alii sunt in hoc hymno loci, qui apertissime vel additi sint ab alio poeta, vel immutati. Sic certe quis mirabitur Homerum, silentem de fontis nomine, non testem a Pausania produci. Sunt haec quidem

omnia incerta: ſed hanc tamen vim habent, ut non ad eam coniectandi audaciam confugiendum eſſe doceant, qua noviſſimus Homericorum hymnorum editor paene dimidiam partem carminis damnandam iudicavit.

Sed pergam in eo, quod facere inſtitui: oſtendam in hoc quoque hymno ad minimum duas recenſiones confuſas eſſe, quarum etſi utriusque veſtigia habeat codex Moſcovienſis, maxime tamen, ut in reliquis hymnis, recentiorem ſequatur. Ita autem disputabo, ac ſi duae, nec plures recenſiones fuerint. Quamquam enim in his locis, quos non eſſe a primo hymni ſcriptore profectos puto, inſignis diverſitas eſt, quum alii optimos et elegantiſſimos verſus contineant, alii vel argumento vel dictione recentiorem aetatem indicent: non eſt tamen haec talis discrepantia, quae ſatis certo diverſos interpolatores prodat. Quare in eo conſiſtendum arbitror, ut ſatis habeam illa removere, quae non Homerum auctorem habere videantur.

Sed ante quam eo perveniatur, vindicare volo locum, qui apud alios in ſuſpicionem interpolationis venit. Non longe ab hymni initio, ubi raptus Proſerpinae deſcribitur, acute quidam animadverterunt, non cohaerere verſum 38. cum iis, quae praecedunt; nihil autem deſideratum

iri, si versus, omissis 22—37. ita putentur iuncti fuisse:

20 ἰάχησε δ' ἄρ' ὄρθια φωνῇ,
κεκλομένη πατέρα Κρονίδην ὕπατον καὶ ἄριστον.
38 ἤχησαν δ' ὀρέων κορυφαὶ καὶ βένθεα πόντου
φωνῇ ὑπ' ἀθανάτῃ.

Versus autem 22—37. quum aliunde venisse arbitrarentur, cupidius alia etiam quaesiverunt, quae in his versibus reprehenderent: quae quidem praeterire satius duco. Persuasissimum enim mihi habeo, si versus 38. cum praecedentibus apte iunctus esset, neminem umquam exstiturum fuisse, cui versus isti displicerent. Sed videamus, quid in illa iunctura vitii sit:

ὄφρα μὲν οὖν γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
λεῦσσε θεά, καὶ πόντον ἀγάῤῥοον ἰχθυόεντα,
αὐγάς τ' ἠελίου, ἔτι δ' ἤλπετο μητέρα κεδνὴν
ὄψεσθαι, καὶ φῦλα θεῶν αἰειγενετάων·
τόφρα οἱ ἐλπὶς ἔθελγε μέγαν νόον ἀχνυμένης περ.
38 ἤχησαν δ' ὀρέων κορυφαὶ καὶ βένθεα πόντου
φωνῇ ὑπ' ἀθανάτῃ· τῆς δ' ἔκλυε πότνια μήτηρ.

Non puto quemquam, cui cognita sit epica Graecorum poesis, dubitaturum esse, quin hic locus mutilus sit, quandoquidem illa, ὄφρα μέν, oppositionem aliquam requirunt. Sed hoc quoque iam viderunt alii. Quo magis mirum est fuisse, qui v. 22—37. eiici vellet, quum hic locus, repertis versibus, qui exciderunt, optime cum v. 38.

cohaerere potuerit. Enimvero calumniaretur, qui negaret illorum verſuum, qui amiſſi ſunt, non aliam potuiſſe ſententiam eſſe, quam hanc: *quum vero ipſam terram ſubiiſſet, nec quidquam niſi tenebras circumfuſas videret, tum vero animum deſpondit.* Tum quidem perabſurde ſubiiceretur: *reſonabant vero cacumina montium.* At cur ſuppleamus, quae dici non potuerunt; quae autem debuerunt dici, praetermittamus? Quod ſi ducem ſequimur ipſum hunc locum, hoc potius poetam dixiſſe credemus: *quum vero hiantem terram ingrederetur, ſeque ad inferos deduci intelligeret, tum prorſus deſperans multo, quam ante, clamavit vehementius: et reſonuerunt montium cacumina, et maris cavernae: audiitque mater.* Apertum eſt, hoc modo et nexum reſtitui, et caveri, ne quis poſthac miretur, quod Ceres audire filiae clamorem dicatur, quum ante nemo deorum, praeter Hecaten et Solem, quidquam perceperit.

Non puto, ſi χρυσαόρου v. 4. vitium ſcripturae eſt, interpolationis indicium inveniri ante v. 47. in quo ſuſpecta habeo verba πότνια Δηώ. Vereor enim ne hoc nomen, quod nusquam uſurpavit Homerus, aetati interpolatoris facilius, quam illius poetae, qui primus hunc hymnum condidit, adſcribi debeat. Veterem ſcriptorem δῖα θεάων poſuiſſe crediderim. Occurrit nomen Δηὼ etiam v. 211. et 497. Ac verſum 497. non eſſe ab an-

tiquo poeta factum, sponte intelligitur. Versu 211. autem,

*δεξαμένη δ' ὁσίης ἕνεκεν πολυπότνια Δηώ,*

nomen Δηὼ eo magis suspectum habeo, quod etiam adiectivum πολυπότνια dubitationem movet. Vereor enim ut id apud antiquiorem Apollonio scriptorem inveniatur. Quare interpolatorem πολυπότνια Δηώ, veterem poetam ξανθὴ Δημήτηρ scripsisse crediderim. Sed quum semel huius versus facta sit mentio, non est praetereunda eruditissimi Schaeferi sententia, qui, quod λ et ν frequentissime permutentur, ut ad Charitonem demonstravit Dorvillius, ἕνεκεν in ἔλαχεν mutandum censet. Quod ille sic interpretatur: *sacri honoris compos est facta:* poetam enim, non opus esse ratum, ut de institutione sacri ritus diceret, id commemorasse, quod consequens est; neque id obscurum fuisse initiatis, qui cognitam habuerint mysticam vim cyceonis; ὁσίην autem non simpliciter esse ritum sacrum, sed adiunctam habere honoris et venerationis significationem; unde idem esse, quod θυσίαν, ut apud Archiam epigr. XX. Quae quamvis docte sint et subtiliter disputata, non omnem tamen mihi de illius emendationis veritate dubitationem eximunt. Si ὁσίης dictum esset pro θυσίας, ut in illo Archiae epigrammate et in hymno Mercurii v. 130. facile adducerer, ut poetam neglecto temporis ordine dixisse cre-

derem ὁσίης ἔλαχεν: quae verba hunc essent sensum habitura: *compos facta est sacrorum, quae ei in mysteriis Eleusiniis offerri solent.* Sed dubitari potest, an cycconem non obtulerint Cereri. Nihil certe ea de re tradunt scriptores ab Ruhnkenio et Meursio in Eleusiniis cap. X. allati: e quibus hoc tantum discas, initiatos cycconem bibisse. Quod si, ut videtur, ὁσίη hoc loco de ritu sacro, quo ipsi tantum initiati errorum Cereris memoriam colebant, accipiendum est, hi potuerunt ὁσίης λαγχάνειν dici, quod ad hanc caeremoniam admitterentur; non Ceres, quae eam praeibat. Λαγχάνειν enim eorum est, qui aliquid lege quadam sibi debitum consequuntur. Quare pronior sum in eam sententiam, ut Vossii coniecturam, ὁσίης ἐπέβη, praeferri velim: quae etsi longius a codicis scriptura recedit, id ipsum tamen exprimit, quod a simplicitate, qualis esse antiquorum poetarum solet, maximam commendationem habet, institutum esse Cereris facto cum ritum, quem deinde initiati tenuerint.

Manifesto interpolati sunt versus 108 — 110. ubi haec leguntur de filiabus Celei:

τέσσαρες, ὥστε θεαί, κουρήϊον ἄνθος ἔχουσαι,
Καλλιδίκη, καὶ Κλεισιδίκη, Δημώ τ' ἐρόεσσα,
Καλλιθόη θ', ἣ τῶν προγενεστάτη ἦεν ἁπασέων.

His repugnat Pausaniae testimonium I. 38. τὰ δὲ ἱερὰ τοῖν θεοῖν Εὔμολπος καὶ αἱ θυγατέρες δρῶσιν

αἱ Κελέου. καλοῦσι δὲ σφᾶς Πάμφως τε κατὰ ταυτὰ καὶ Ὅμηρος Διογένειαν, καὶ Παμμερόπην, καὶ τρίτην Σαισάραν. Ruhnkenius quidem opinabatur, nomina illa, quae ab Homero posita scribit Pausanias, circa finem hymni, ubi de Cereris sacris sermo est, a poeta commemorata fuisse: versus autem istos librariorum negligentia esse omissos: quamquam mirum esse fatetur, aliis Celei filiabus, quam quae Cererem hospitio excepissent, commissam esse curam sacrorum. Illa Ruhnkenii sententia nec tibi satisfecit, Ilgeni, neque aliis: et iure quidem, praesertim quum Celei filiae apud Homerum non videantur Cereris sacra obiisse: quod neque e Pausaniae verbis colligi potest, neque, si posset, hunc Pausaniae locum cum iis, quae idem alibi de Cereris sacris ex Homeri hymno profert, conciliari pateretur. Facile vero omnem difficultatem expediemus, si tres istos versus, qui nomina filiarum Celei continent, ab interpolatore sic conformatos putabimus: qui quum sequeretur alius narrationis fidem, pro nominibus, quae ab Homero scripta videbat, haec posuit, quae nunc leguntur. Et fortasse servavit partem aliquam verborum, quibus Homerus usus fuerat, quem credas ita scripsisse,

τρεῖς, ὡσεί τε θεαί, κουρήϊον ἄνθος ἔχουσαι,

tum posuisse nomina, eorumque uni addidisse haec, ἣ τῶν πρειγενεστάτη ἦεν ἁπασέων. Librarius,

qui codicem Moſcovienſem ſcripſit, more ſuo interpolatorem ſequi, quam Homerum, maluit. Itaque etiam v. 146. Καλλιδίκη pro Saeſara, vel Pammerope ab interpolatore poſita videtur.

Veniunt etiam in ſuſpicionem interpolationis verſus 202—205.

πρίν γ' ὅτε δὴ χλεύης μιν Ἰάμβη κέδν' εἰδυῖα
πολλὰ παρασκώπτουσ' ἐτρέψατο, πότνιαν, ἁγνήν,
μειδῆσαι, γελάσαι τε, καὶ ἵλαον σχεῖν θυμόν.
ἣ δή οἱ καὶ ἔπειτα μεθύστερον εὔαδεν ὀργαῖς.

Non enim in his aut Homerica eſt, aut omnino antiqua oratio; tum ob μὶν ſequentibus epithetis, quae ſine nomine, etiam ſi χλεύῃσιν ſcriberetur, diſplicitura eſſent; tum ob tertium verſum, qui minime elegans eſt; tum denique ob vocabulum ὀργαῖς. Itaque hos verſus eo facilius ab interpolatore addi potuiſſe ſtatuemus, quod is celebratos ab aliis Iambae iocos non putaverit ſilentio eſſe praetereundos.

Quae a v. 300. leguntur, mea quidem ſententia neque ita frigent, neque tam inter ſe pugnant, ut multis magniſque interpolationibus corrupta exiſtimari debeant. Exponamus argumentum ordine eo, quem poeta inſtituit. Condito templo Eleuſinii domum abeunt. Manet eo in templo relictis deorum coetibus Ceres, et ſterili anno mortales affligit. Ob eam rem Iuppiter primo Iridem mittit, quae Cererem ad deos arceſſat,

dein, quum haec legatio frustra fuisset, caeteros deos. His non ante illa se ad Olympum redituram dicit, quam visa filia. Itaque Mercurius ad Plutonem ab Iove mittitur, ut reducat Proserpinam. Consentit Pluto, sed Proserpinae granum comedendum praebet mali Punici. Ita Proserpina revisit matrem, cui interroganti, numquid cibi apud inferos gustaverit, quo facto fore, ut duas anni partes apud superos, unam apud Plutonem degat, tum quo modo rapta fuerit, ad utrumque respondet, et singula, ut acta sint, enarrat. Ibi salutabunda Proserpinam adest Hecate, ex eo tempore satelles eius. Iam Iuppiter Rheam mittit, quae Cererem ad deos reducat, et dona promittat, simulque significet, adnuisse Iovem, ut Proserpina unam anni partem apud inferos, duas in caelo degat. Sic placata Ceres frugum ubertatem facit hominibus, regibus autem Eleusiniis sacrorum suorum curam committit. In his praeter illa, quae de Hecate narrantur, nihil video, quod offensioni esse possit. Scio miratum esse aliquem, quod templo exstructo non statim facta esset sacrorum mentio, et quaesivisse, quid interea factum esset in hoc templo. Nimirum sacra, ut in aliis templis. Sed de his tacuit poeta, et recte quidem, non solum quod frustra facta sunt irata Cerere, sed etiam, quod alia commemoraturus esset, quae multo magis, quam ista sacra, movere deam debebant.

De Eleusiniis autem orgiis ne potuit quidem eo loco dicere. Ridiculum enim fuisset, Cererem sacrorum caeremonias instituere, quibus statim se adeo iniquam praebitura esset, ut antistitum pietatem fame puniret. Alias, quae de omni ista narratione excitatae sunt dubitationes, silentio praeteriri volet, qui sensum habet Homeri et epicorum lectione bene subactum. Sed tamen ex his duas, quae fortasse cuipiam esse fraudi possint, breviter attingam. Quaerunt, cur ad Olympum vocetur Ceres. Mirum vero. Nam quid hoc aliud est, quam orare, ut iram deponat? Et quid frequentius fieri videmus, quam invitari ad solitos coetus eum, qui simultate orta ab iis se abstinet? Qui si obsequitur, hac ipsa re in gratiam se redire ostendit. Alterum, in quo haeretur, hoc est, quod, quum Ceres sciat, divisam apud superos atque inferos fore Proserpinae mansionem, id deinde Iuppiter ita fore ei spondeat. Nam neque Cererem hoc, nisi facto edoctam, scire posse, nec, si ea id eventurum sciat, ex Iovis arbitrio pendere. Ad utrumque parata est responsio. Scire poterat Ceres, quia vix dubitari potest, ita creditum fuisse, qui deorum apud inferos aliquid gustasset, eum tertiam anni partem se Orco addixisse. De Proserpina autem sic fore spondere poterat Iuppiter, quod, quantumvis aliquid fatale esset, hic tamen fata nonnumquam migrare posse

credebatur. Sic in Iliade, quum de morte Sarpedonis deliberat. Vnde factum ſit, ut nunc fatum diis, nunc dii fato potentiores haberentur, indicavi in diſſertatione de tragica et epica poeſi, quae addita eſt Ariſtotelis arti poeticae, p. 265. Et hic quidem non vacua eſt illa de Iovis conſenſu narratio. Nam quum Pluto, frater Iovis, ipſo adnuente Iove, rapuiſſet Proſerpinam, et eo quidem conſilio, ut eam uxorem duceret, metuere poterat Ceres, ne Iuppiter, quo gratum faceret fratri, violata fatorum lege in omne tempus apud inferos eſſe Proſerpinam ſineret. Sed verſus 438 — 440.

*τῇσιν δ' ἐγγύθεν ἦλθ' Ἑκάτη λιπαροκρήδεμνος·*
*πολλὰ δ' ἄῤ ἀμφαγάπησε κόρην Δημήτερος ἁγνήν·*
*ἐκ τοῦ οἱ πρόπολος καὶ ὀπάων ἔπλετ' ἄνασσα·*

hos verſus quum vel ob vocabulum *κόρην* ab antiquo hymno removere debeamus, tum ipſo argumento produnt interpolatorem, maioris doctrinae et recentioris ſtudioſum. Sunt vero etiam paullo ante, quae ab eodem interpolatore addita videantur in oratione Proſerpinae: ac primo v. 407.

*τοίγαρ ἐγώ τοι, μῆτερ, ἐρῶ νημερτέα πάντα.*

Vetuſtiorem poetam maluiſſe credas:

*τοίγαρ ἐγώ τοι, μῆτερ, ἀληθέα πάντ' ἀγορεύσω.*

Neque enim antiquum eſt *ἐρῶ*. Mox qui legitur verſus,

ἄκουσαν δὲ βίῃ με προσηνάγκασε πάσασθαι,

tam turpis eſt, ut non ab interpolatore factus, ſed e ſcholiaſtarum adnotationibus ortus exiſtimari debeat. Sequuntur paullo poſt haec:

ἡμεῖς μὲν μάλα πᾶσαι ἀν' ἱμερτὸν λειμῶνα
Λευκίππη, Φαινώ τε, καὶ Ἠλέκτρη, καὶ Ἰάνθη,
καὶ Μελίτη, Ἰάχη τε, Ῥόδειά τε, Καλλιρόη τε,
Μηλοβότη τε, Τύχη τε, καὶ Ὠκυρόη καλυκῶπις,
Χρυσηΐς τ', Ἰάνειρά τ', Ἀκάστη τ', Ἀδμήτη τε,
καὶ Ῥοδόπη, Πλουτώ τε, καὶ ἱμερόεσσα Καλυψώ,
καὶ Στύξ, Οὐρανίη τε, Γαλαξαύρη τ' ἐρατεινή,
Παλλάς τ' ἐγρεμάχη, καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα
παίζομεν, ἠδ' ἄνθεα δρέπομεν χείρεσσ' ἐρόεντα.

Huius loci mentionem fecit Pauſanias IV. 30, 3. his verbis: πρῶτος δὲ ὧν οἶδα ἐποιήσατο ἐν τοῖς ἔπεσιν Ὅμηρος Τύχης μνήμην· ἐποιήσατο δὲ ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς τὴν Δήμητρα, ἄλλας τε Ὠκεανοῦ θυγατέρας καταριθμούμενος, ὡς ὁμοῦ κόρῃ τῇ Δήμητρος παίζοιεν, καὶ Τύχην ὡς Ὠκεανοῦ καὶ ταύτην παῖδα οὖσαν· καὶ οὕτως ἔχει τὰ ἔπη·

ἡμεῖς μὲν μάλα πᾶσαι ἀν' ἱμερτὸν λειμῶνα
Λευκίππη, Φαινώ τε, καὶ Ἠλέκτρη, καὶ Ἰάνθη,
Μηλόβοσίς τε Τύχη τε καὶ Ὠκυρόη καλυκῶπις.

Verſum, qui non eſt apud Pauſaniam,

καὶ Μελιτη, Ἰάχη τε, Ῥόδειά τε, Καλλιρόη τε,

quod nihil ad rem faceret, Ruhnkenius ſive a Pauſania ſive ab eius librario omiſſum putabat.

At Pauſanias, opinor, ſi quid voluiſſet omittere, ſolum attuliſſet eum verſum, in quo nomen Τύχη eſt: librarium autem eius iniuria accuſabimus, quum facilius iſta omiſſio expediatur, ſi verſum ab interpolatore additum cenſeamus. Idem adieciſſe hunc verſum videtur,

Παλλάς τ' ἐγρεμάχη, καὶ Ἄρτεμις ἰοχέαιρα.

Quum enim, ut Ruhnkenius docuit, Minerva ac Diana inter illas virgines fuiſſe dicantur, e quarum coetu rapta eſt Proſerpina, has interpolator deas non putavit praetereundas eſſe, quamquam earum mentionem nec loco apto, neque ea ratione, qua decebat, fecit. Senſit hoc iam Matthiae. Nec numeri in iſto verſu elegantes ſunt: quos aliquo tamen modo excuſare ſtudui ad Orpheum p. 729.

Apertis interpolationibus vitiatus eſt hic locus v. 473.

ἡ δὲ κιοῦσα θεμιστοπόλοις βασιλεῦσιν
εἶπεν Τριπτολέμῳ τε, Διοκλεῖ τε πληξίππῳ,
Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ', ἡγήτορι λαῶν,
δρησμοσύνην θ' ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια καλά,
Τριπτολέμῳ τε, Πολυξείνῳ τ', ἐπὶ τοῖς δὲ Διοκλεῖ,
σεμνά, τά γ' οὔπως ἔστι παρεξίμεν, οὔτε πυθέσθαι,
οὔτ' ἀχέειν· μέγα γάρ τι θεῶν ἄχος ἰσχάνει αὐδήν.
ὄλβιος, ὃς τάδ' ὄπωπεν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων·

*ὃς δ' ἀτελὴς, ἱερῶν ὅς τ' ἄμμορος, οὔποθ' ὁμοίην*
*αἶσαν ἔχει, φθίμενός περ, ὑπὸ ζόφῳ εὐρώεντι.*

Aliquid adiumenti ad explicandum hunc locum confert Paufanias, qui lib. II. cap. 14, 2. fic fcribit: *οὐ γὰρ ἄν ποτε Ὅμηρος παρῆκεν αὐτὸν* (Dysaulen) *ἐν τοῖς ἔπεσιν· ἔστι γὰρ καὶ Ὁμήρῳ πεποιημένα ἐς Δήμητρα· ἐν δὲ αὐτοῖς καταλέγων τοὺς διδαχθέντας ὑπὸ τῆς θεοῦ τὴν τελετὴν Δυσαύλην οὐδένα οἶδεν Ἐλευσίνιον. ἔχει δὲ οὕτω τὰ ἔπη·*

*δεῖξεν Τριπτολέμῳ τε, Διοκλεῖ τε πληξίππῳ,*
*Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ' ἡγήτορι λαῶν*
*δρησμοσύνην ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια πᾶσιν.*

Ex his verbis hoc certe elucet, verfum, qui hos in hymno fequitur, Paufaniae ignotum fuiffe. Eum vero interpolator addidit, qui Polyxeni quoque mentionem faciendam putaret. Eidem etiam *καλὰ* debetur pro *πᾶσιν*, quod eft apud Paufaniam, et, nifi fallor, *εἶπεν* quoque, quod, ut varia lectio, in margine vel verfuum intervallis adfcriptum, in textum venit. Atque interpolator hunc locum ita, fi recte coniicio, conformaverat:

*ἡ δ' ἄρ' ἔειπε θεμιστοπόλοις βασιλεῦσιν,*
*Τριπτολέμῳ τε, Πολυξείνῳ τ', ἐπὶ τοῖς δὲ Διοκλεῖ,*
*Εὐμόλπου τε βίῃ, Κελεῷ θ', ἡγήτορι λαῶν,*
*δρησμοσύνην θ' ἱερῶν, καὶ ἐπέφραδεν ὄργια καλά.*

Eidem poetae, fi recte fentio, tribui debent etiam tres verfus, quibus beata initiatorum fors praedicatur. Turbant enim nonnihil narrationis fim-

plicitatem, quae antiquiorum eſt ſcriptorum propria. Et fortaſſe hi verſus e Sophocleis, non Sophoclei, ut videbatur Ruhnkenio, ex his expreſſi ſunt.

Ultimos ſex verſus non eſſe antiquos, ſatis prodit oratio: quamquam ſi quid horum a vetuſtiore poeta profectum eſt, id huiusmodi fuiſſe crediderim:

ἵλαθ' Ἐλευσῖνος θυοέσσης δῆμον ἔχουσα,
αὐτὴ καὶ κούρη περικαλλὴς Περσεφόνεια·
αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς.

In maioribus Homeri hymnis videtur etiam hymnus in Bacchum fuiſſe, ex quo novem verſus Diodorus Siculus affert, finem autem conſervavit codex Moſcovienſis. Hunc quoque hymnum ab aliquo rhapſodo interpolatum fuiſſe apertum eſt. Ac primo haec ibi ſcripta ſunt:

ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων·
ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο· μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.
ὣς εἰπών, ἐπένευσε καρήατι μητίετα Ζεύς.

Tibi quidem, Ilgeni, tres priores horum verſuum ex Iliade huc traducti videbantur, quum aliquis librarius eum verſum, qui nunc quartus horum eſt, exemplo illuſtrare vellet. Quod quis neget fieri potuiſſe? Sed quum toties in Homeri hymnis interpolatoris manus deprehendatur, quum-

que in hoc ipſo Bacchi hymno alii etiam verſus ſuppoſiti ſint, ipſe fateberis, maiore cum ſpecie veritatis tres illos verſus rhapſodo adſcribi, qui Homeri hymnum ad ſuam mentem refinxerit. Credibilius eſt autem, hos tres verſus pro quarto, quam quartum pro tribus illis ab interpolatore ſcriptum eſſe: propterea quod horum hominum illud erat conſilium, non ut detraherent quidquam de Homerici carminis ornatu, ſed ut eum augerent. Quod modo dicebam, alio etiam in loco iſtius fragmenti alienos verſus inveniri, iam vidit noviſſimus editor, Matthiae. Sic enim hymnus finitur:

ἵληθ' εἰραφιῶτα, γυναιμανές· οἱ δέ σ' ἀοιδοὶ
ᾄδομεν ἀρχόμενοι λήγοντές τ', οὐδέ πῃ ἔστιν
σεῖό γε ληθόμενον ἱερῆς μεμνῆσθαι ἀοιδῆς.
καὶ σὺ μὲν οὕτω χαῖρε, Διώνυσ' εἰραφιῶτα,
σὺν μητρὶ Σεμέλῃ, ἥνπερ καλέουσι Θυώνην.

Manifeſtum eſt, ultimos duos verſus non fuiſſe in eodem carmine, in quo tres illos, qui his priores ſunt. Vtros autem Homero, utros interpolatori tribuendos cenſeamus, non poteſt obſcurum eſſe, quum in tribus prioribus minime Homerica oratio ſit.

Dabis mihi hanc veniam, Ilgeni, ut, quum hucusque producta ſit haec disputatio, pauca adiiciam de minoribus hymnis. Etenim in his quoque aliqui ſunt, in quibus non dubia reperian-

tur interpolationis indicia. Vnum horum hymnorum, qui est in Mercurium, iam supra attigi: nunc reliquos commemorabo. Ac primus horum est hymnus nostrae editionis X. in Venerem, in quo quum vulgati libri habeant,

χαῖρε θεὰ Σαλαμῖνος ἐϋκτιμένης μεδέουσα
καὶ πάσης Κύπρου· δὸς δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν,

codex Moscoviensis, conservator fere interpolationum, pro his versibus alios exhibet:

χαῖρε μάκαιρα, Κυθήρης ευκτιμένης μεδέουσα,
εἰναλίης τε Κύπρου· δὸς δ' ἱμερόεσσαν ἀοιδήν.

Dolendum est, quod hic codex in hymno XVIII. 4. finitur, nec reliquos hymnos continet, in quibus fortasse similes habuit interpolationes.

Certe idem codex etiam in hymno XV. qui est in Herculem, pro versibus 4. 5. 6. vulgatarum editionum tres alios versus, aperte illos a recentiore poeta factos, exhibet.

Maxime vero codicis huius auctoritatem desideramus in hymnis XXIV. et XXIX. Quorum in XXIV. qui est in Vestam, hic versus legitur:

ἔρχεο τένδ' ἀνὰ οἶκον ἐπέρχεο θυμὸν ἔχουσα.

Quem versum quum Barnesius probabili coniectura sic emendandum censuit,

ἔρχεο τόνδ' ἀνὰ οἶκον ἐνηέα θυμὸν ἔχουσα,

videtur ille quidem veram lectionem invenisse, sed ita tamen, ut non prorsus damnandum sit

verbum ἐπέρχεο. Quod verbum indicio eſt, quum de duobus poetis alter ſic, ut volebat Barneſius, ſcripſiſſet, alterum ſcripſiſſe tali quodam modo:

*εὔφρονα τόνδ' ἀνὰ οἶκον ἐπέρχεο θυμὸν ἔχουσα.*

Hymni autem XXIX. qui eſt in Veſtam et Mercurium, hoc eſt initium:

*Ἱστίη, ἣ πάντων ἐν δώμασιν ὑψηλοῖσιν*
*ἀθανάτων τε θεῶν, χαμαὶ ἐρχομένων τ' ἀνθρώπων*
*ἕδρην ἀΐδιον ἔλαχες, πρεσβηΐδα τιμήν,*
*καλὸν ἔχουσα γέρας καὶ τιμήν· οὐ γὰρ ἄτερ σοῦ*
*εἰλαπίναι θνητοῖσιν, ἵν' οὐ πρώτῃ πυμάτῃ τε*
*Ἱστίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον.*

Quorum verſuum tres poſtremos iam tu, Ilgeni, ab aliquo interpolatore additos eſſe monuiſti. Sed in eo a te disſentio, quod eum interpolatorem duos verſus, qui hos antecedunt, omiſiſſe puto, ita ut is verba coniunxerit hoc modo:

*Ἱστίη, ἣ πάντων ἐν δώμασιν ὑψηλοῖσιν*
*καλὸν ἔχουσα γέρας καὶ τιμήν.*

Conſtructionem illam pronominis cum participio illuſtravit Matthiae ad hymnum Apollinis Pythii v. 157. Sed magis depravata eſt reliqua hymni pars:

*καὶ σύ μοι, Ἀργειφόντα, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱέ,*
*ἄγγελε τῶν μακάρων χρυσόῤῥαπι, δῶτορ ἐάων,*
*ναίετε δώματα καλά, φίλα φρεσὶν ἀλλήλοισιν*

*ἵλαος ὢν ἐπάρηγε σὺν αἰδοίῃ τε φίλῃ τε*
*Ἱστίῃ· ἀμφότεροι γὰρ ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,*
*εἰδότες ἔργματα καλά, νόῳ τ' ἕσπεσθε καὶ ἥβῃ.*

Sic editio princeps, neque aliter reliquae, nisi quod leve scripturae vitium ita corrigunt *νόῳ θ' ἕσπεσθε*. Versum illum,

*ναίετε δώματα καλά, φίλα φρεσὶν ἀλλήλοισιν,*

alii alio loco ponendum censuere, nemo autem talem potuit locum invenire, in quo mutatus versuum ordo non pareret alias et inextricabiles difficultates. Quae res, ut ego arbitror, monere nos debet, ne tam lubricae nos viae committamus. Quum semel hic hymnus non videatur ab interpolationibus immunis esse, ecquid putabimus tutius reperiri posse, quam si hic quoque interpolatoris manum deprehendere conemur? Et videor mihi errorem illum detexisse, quo cognito et explicari facillime perturbatio ista, et tolli lenissimo remedio possit. Duo postremi versus, alter vocabulo Ἱστίῃ, alter participio *εἰδότες* incipiunt. Sumamus, quod fieri potuit facillime, utrumque vocabulum ad priorem horum versuum pertinuisse, ita ut antiquioris poetae sit *εἰδότες*, recentioris Ἱστίῃ: quod quum supra esset adscriptum ab illo librario, cui hodierna Homericorum hymnorum forma debetur, alii, qui huius codicem describebant, in eum errorem inducti sunt, ut participium *εἰδότες*, quod infra scriptum esset,

ad ſequentem verſum referrent: in quo quum eſſet repoſitum, librarii metro vim fieri ſentientes, aut verum et genuinum huius verſus initium, aut aliquod e medio vocabulum omiſere. Igitur antiquiorem poetam, quum ante invocaſſet Veſtam, ita ſe ad Mercurium convertiſſe puto:

*καὶ σύ μοι, Ἀργειφόντα, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱέ,*
*ναίετε δώματα καλά, φίλα φρεσὶν ἀλλήλοισιν*
*εἰδότες· ἀμφότεροι γὰρ ἐπιχθονίων ἀνθρώπων*
*ῥύεσθ' ἔργματα καλά, νόῳ θ' ἕσπεσθε καὶ ἥβῃ.*

Liceat enim ſententiae concludendae cauſſae addere verbum, quod ſcribi a poeta certe potuerit, quemadmodum ſcribi potuit etiam aliter: ut,

*ἔργματα κάλ' ἐφορᾶτε.*

Interpolator haec ita mutaſſe videtur:

*καὶ σύ μοι, Ἀργειφόντα, Διὸς καὶ Μαιάδος υἱέ,*
*ἄγγελε τῶν μακάρων ἐριούνιε, δῶτορ ἐάων,*
*ἵλαος ὢν ἐπάρηγε σὺν αἰδοίῃ τε φίλῃ τε*
*Ἱστίῃ· ἀμφότεροι γὰρ ἐπιχθονίων ἀνθρώπων*
*ῥύεσθ' ἔργματα καλά, νόῳ θ' ἕσπεσθε καὶ ἥβῃ.*

Vides, Ilgeni, hac ratione illud effici, ut verſuum ordo, qui temere perturbatus eſſe videbatur, non modo ſe ipſe tueatur, ſed etiam emendandi neceſſitatem removeat.

Denique hymnos XXX. qui eſt in Terram matrem, XXXII. qui eſt in Lunam, et XXXIII. qui eſt in Dioscuros, non omni interpolationis ſuſpicione vacuos eſſe, in notis dixi.

Vides, Ilgeni, quae mea ſit de Homeri hymnis ſententia: quae ſi a veritate non abhorret, pariter et horum temeritati terminum figet, qui pro ſua libidine optimos verſus eiiciunt, quum, unde venerint, dicere nequeant, et imperitiam coercebit aliorum, qui, quidquid in his hymnis ſcriptum legitur, Homericum eſſe deputant. Perpoliri haec ratio poterit alio tempore, ſi, quod valde optabile eſt, alii et boni reperti fuerint codices. Nam in hoc ſtatu, in quo nunc iſta carmina ſunt, inchoari genuinorum a ſuppoſitis diiudicatio, non perfici poteſt. Itaque quidquid nunc a nobis disputatum eſt, tempori relinquatur, et doctorum iudicum perſpicaciae.

Sed iam veniendum eſt ad hanc hymnorum Homeri editionem. Eam ego hoc conſilio inſtitui, ut ad ea, quae ipſe de his carminibus ſentirem, demonſtranda textum haberem non modo antiquarum editionum vitiis vacuum, ſed etiam iis mutationibus carentem, quas recentiores critici, longe aliam illi, atque ego, rationem ſequuti, receperant. Ac veteres editiones quam corruptae ſint, omnibus notum eſt: praeterea deſunt in iis verſus aliqui, quos e codicibus protulit Ruhnkenius. In recentioribus autem, praeter illud, quod iam dixi, nunc lacunae, quae non rarae in his hymnis ſunt, non indicatae, nunc alii verſus, quam quos ego ſuſpectos habeo, uncis incluſi,

quin in novissima editione optimi versus et maxime genuini prorsus omissi sunt. Ita factum est, ut optimum iudicarem, ipsos Homeri hymnos edere. Quod sic feci, ut et lacunas signis quibusdam indicarem, et uncis includerem ea, quae ab interpolatoribus addita viderentur. In textu eos tantum locos mutavi, quos vel ab aliis vel a me ipso certa emendatione sanatos credebam. Notas addidi, non ut perpetuo quasi commentario hos hymnos illustrarem, sed hic illic, ut in mentem veniebat, maxime quum corrigerem aliquid, aut ab aliis dissentirem. Plerumque etiam indicavi, cuius emendatio esset, quam recepissem. Et fere semper memorabiliores lectiones codicis Moscoviensis adnotavi, quod hae aut esse ab interpolatore profectae, aut proficisci potuisse viderentur. Saepe etiam, Ilgeni, alias videbis varias lectiones adscriptas esse, et nonnumquam vix memoratu dignas. Hoc quare fecerim, accipe. Quum post tuam diligentissimam in hoc genere operam novae e codicibus lectiones in lucem protractae essent, simulque coniecturarum, quas viri docti fecerunt, crevisset copia, paene adiecissem his hymnis accuratam variarum lectionum et plenam collectionem, nisi veritus essem, ne novissimus editor, qui in titulo suae editionis varias lectiones se addidisse profitetur, ea re suae editioni aliquid detractum iri putaret.

Non possum tamen dissimulare, eum varias lectiones, quas ante in animadversionibus non sane satis studiose collegerat, hinc negligentius etiam in editionem hymnorum contulisse. Quo factum est, ut in codicum lectionibus indicandis non modo aliquoties ab Ruhnkenio, sed interdum etiam ab semet ipso discreparet. In primis vero illud miratus sum, quod saepissime e Florentina editione, quae omnium prima est, lectiones affert, quarum nullum est in ea editione vestigium. Atqui quum tu, Ilgeni, hanc editionem diligentissime comparasses, ex tuis adnotationibus petere istas lectiones poterat. Equidem usu cognovi, Florentinam editionem numquam ab eo visam esse, sed, quod prorsus mirabile est, quum fortasse earum editionum aliqua uteretur, quae ad Florentinam expressae feruntur, eum coniectura, quid in Florentina esset, divinantem, id ipsum ei editioni adscribere non dubitasse. Quare saepe, et plerumque notato eius errore, ne lectores, uter vera diceret, nescirent, Florentinae editionis lectionem adscribendam duxi. Vt persaepe in hac editione, ita interdum etiam in aliis conferendis, non usus est ea diligentia, quam iure exspectasses. Quare non raro Florentinae editionis lectionibus eas addidi, quae sunt in secunda et tertia Aldina, a. M.D.XVII. et M.D.XXIV. item in prima Ce-

phalaci a. M.D.XXV. Has autem quatuor editiones meis ipſe oculis in ſingulis locis uſurpavi. Quemadmodum fortaſſe nolet aliquis iſtas adnotationes additas eſſe, ita eſt etiam, quod omiſſum vituperabitur. Conqueſtus eſt enim nuper Io. Henr. Voſſius, quod quidam, quae in epiſtolis mythologicis ſcripſiſſet, neſcire ſe ſimularent, et paene pro non ſcriptis habere. Id ne mihi nunc quoque vitio vertatur, profiteor, me legiſſe, quum hymnum in Mercurium, ne quid de Alcaeo lyrico dicam, a Cynaetho factum eſſe ſibi perſuaſiſſimum habet; legiſſe, quum in eo hymno ἐντροπίας *faſcias*, μετήορα *aras*, φωνὴν *mactationem*, βουλεύειν τινὰ *aliquem conſilio adiuvare*, κνώδαλον *trucem adſpectu* interpretatur; legiſſe etiam alia multa huiusmodi, ad quae medicum eius attendere oportet. Sed haec ablegemus ad Homericos illos et Heſiodeos terrarum orbes, ad amuſſim in tabula deſcriptos, et anguſto cinctos amne Oceani. Mihi quidem non tam mirum videtur, ab uno talia excogitari, quam miſerandum, a multis credi.

Sed verendum mihi eſt, Ilgeni, ne abutar patientia tua. Paene enim ad libri magnitudinem haec crevit epiſtola. Itaque finem faciam ſcribendi, et ad Aeſchylum meum revertar, unde paullisper ad hosce hymnos diſceſſeram. Tu vero hoc munuſculum ſic accipe, ut ab eo datum

cogites, quem amore et pietate nemo eorum, qui te colunt, vincere poſſit. Nam admiratio quidem tuarum praeclariſſimarum virtutum, quibus antiquam ſcholae Portenſis laudem ſummo patriae et litterarum emolumento ad illud faſtigium adduxiſti, quod vel propoſitum habere perpaucis ſcholis, nedum conſequi licet, communis mihi cum omnibus eſt: illud autem proprium habeo, quod me non modo pluribus, quam alios, ac maioribus tibi meritis obſtrinxiſti, ſed etiam ab ipſa pueritia mea eo es amore complexus, qui paternum aequaret. Quo amore tuo ut nihil mihi dulcius eſt, ita me, quoad vivam, iure tuum vocabis. Vale, Ilgeni, multosque per annos rege inclitam Portam, amoeniſſimum illud litterarum domicilium, cuius equidem numquam ſine deſiderio, etiam propter Langium, collegam tuum, quem ſcis quanti faciam, recordari ſoleo.

Dabam d. VII. Maii, a. CIↃIↃCCCVI.

---

# ΟΜΗΡΟΥ ΥΜΝΟΙ

## I.

# ΕΙΣ ΑΠΟΛΛΩΝΑ.

Μνήσομαι οὐδὲ λάθωμαι Ἀπόλλωνος ἑκάτοιο,
ὅν τε θεοὶ κατὰ δῶμα Διὸς τρομέουσιν ἰόντα,
καί ῥά τ᾽ ἀναΐσσουσιν ἐπισχεδὸν ἐρχομένοιο
πάντες ἀφ᾽ ἑδράων, ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει.
Λητὼ δ᾽ οἴη μίμνε παραὶ Διῒ τερπικεραύνῳ,
ἥ ῥα βιόν τ᾽ ἐχάλασσε καὶ ἐκλήϊσσε φαρέτρην·
καί οἱ ἀπ᾽ ἰφθίμων ὤμων χείρεσσιν ἑλοῦσα

---

3. Legebatur καί ῥά γ᾽ ἀναΐσσουσιν, quod nihili eſt.

4. Mirum eſt adeo haereri potuiſſe in hoc verſu, ut verba, ὅτε φαίδιμα τόξα τιταίνει, prorſus contra morem et leges epici carminis, ſic explicarentur, *quandoquidem deus eſt arcitenens.* Nihil illa aliud ſignificant, quam, *quum arcum tendit:* quem tendit ille, quum eſt iratus. Quae ſententia tantum abeſt, ut huic loco male conveniat, ut magnum pulcerrimo exordio ornamentum addat. Nam poeta initio univerſe reverentiam deſcribens, quam dii praeſtent Apollini, ipſum deum eo habitu auditoribus oſtendit, quo ille maxime eſt admirabilis. Quare eum non actionis expertem introducit, ſed fungentem officio ſuo. Ita deum in actu motuque verſantem intuens, incaleſcente animo, quod reliquum eſt, tamquam ſemel et certo quodam tempore factum enarrat. Praeterita ſi pro praeſentibus poſita putantur, omnis loci venuſt as perit.

τόξον ἀνεκρέμασεν πρὸς κίονα πατρὸς ἑοῖο,
πασσάλου ἐκ χρυσέου· τὸν δ' ἐς θρόνον εἷσεν ἄγουσα.
τῷ δ' ἄρα νέκταρ ἔδωκε πατὴρ δέπαϊ χρυσείῳ,
δεικνύμενος φίλον υἱόν· ἔπειτα δὲ δαίμονες ἄλλοι
ἔνθα καθίζουσιν· χαίρει δέ τε πότνια Λητώ,
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν.
[Χαῖρε μάκαιρ', ὦ Λητοί, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,
κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον,

---

14. Interpungebatur *χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοί*, quod non recte factum videtur. Construitur enim *ὦ* eodem modo, ut articulus. Quare interpunxi, *χαῖρε μάκαιρ', ὦ Λητοί.* Sic etiam Iliad. IV. 189. XVII. 716. scribi velim, *φίλος, ὦ Μενέλαε. ἀγακλεὲς, ὦ Μενέλαε.* Et in Odyssea VIII. 408. XVIII. 121. XX. 199. *χαῖρε πάτερ, ὦ ξεῖνε.* Maxime confirmant hanc regulam ii loci, qui maxime labefactare eam videntur: hos dico, in quibus *ὦ* non adiectivo, sed praecedenti adiectivum substantivo iungitur, ut *ὦ παῖδες οἰκτροί.* Nimirum non dicitur *οἱ παῖδες οἰκτροί*, sed *οἱ οἰκτροὶ παῖδες.* At quum *οἱ οἰκτροὶ παῖδες* dicimus, primarium est *οἰκτροί*; quum *οἱ παῖδες οἱ οἰκτροί*, potius est *παῖδες.* Itaque qui *ὦ οἰκτροὶ παῖδες* dicit, miseros alloquitur, qui sunt pueri; qui *ὦ παῖδες οἰκτροί*, pueros, qui sunt miseri. Aperta est caussa, quare haec formula articuli exemplum deserat, neque *ὦ παῖδες ὦ οἰκτροί* dicatur. Multum autem refert, utra loquutione utaris. *Ὦ μάκαρ Ἀτρείδη, μοιρηγενές, ὀλβιόδαιμον* felicem praedicantis est. *Ὦ τοῦ στρατηγήσαντος ἐν Τροίᾳ ποτὲ Ἀγαμέμνονος παῖ*, claro patre ortum compellantis. Opponuntur infelix et ignobili patre natus. Quodsi *ὦ Ἀτρείδη μάκαρ, ὦ παῖ Ἀγαμέμνονος* dicas, opponentur, qui non sunt Atridae, et qui cum Agamemnone alia fuerunt necessitudine iuncti, quam quae inter filium et patrem est. Contra recte Sophocles, *ὦ φάος ἁγνόν*: opponuntur enim tenebrae, non lumen impurum. In Homerico illo *ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη,*

ἀγχοτάτω Φοίνικος, ἐπ' Ἰνώποιο ῥεέθροις.]
Πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐόντα;
[πάντη γάρ τοι, Φοῖβε, νόμος μεμέληται ἀοιδῆς,
ἠμὲν ἀν' ἤπειρον πορτιτρόφον, ἠδ' ἀνὰ νήσους.
πᾶσαι δὲ σκοπιαί τοι ἅδον καὶ πρώονες ἄκροι
ὑψηλῶν ὀρέων, ποταμοί θ' ἅλαδε προρέοντες,
ἀκταί τ' εἰς ἅλα κεκλιμέναι, λιμένες τε θαλάσσης.]
ἦ ὥς σε πρῶτον Λητὼ τέκε χάρμα βροτοῖσιν,
κλινθεῖσα πρὸς Κύνθου ὄρος κραναῇ ἐνὶ νήσῳ,
Δήλῳ ἐν ἀμφιρύτῃ; ἑκάτερθε δὲ κῦμα κελαινὸν

---

adiectivi loco esse puto haec, *πάτερ ἡμέτερε*. Sed etiam si cui placeat post *ἡμέτερε* interpungere, *ὦ πάτερ ἡμέτερε* dici, non *ὦ ἡμέτερε πάτερ* debebat, quod esset, *noster, non aliorum pater*. Ex his colligitur recte in Sophoclis Antigona v. 742. legi:

*ὦ παγκάκιστε, διὰ δίκης ἰὼν πατρί,*

nec scribi posse *ὦ παῖ κάκιστε*, quod ibi dicendum fuisset, *ὦ κάκιστε παῖ*.

18. Legebatur *ὑπ' Ἰνώποιο ῥεέθροις*. Correxit iam Reizius.

20. Pro vulgato, *νόμος βεβλήαται ᾠδῆς*, scripsi, *νόμος μεμέληται ἀοιδῆς*. *Νόμος ἀοιδῆς*, ut alibi *οἶμος* et *ὕμνος ἀοιδῆς*. *Βεβλημένος* recte in *μεμελημένος* mutant in Asclepiadae epigr. 15. Caeterum hoc loco praetuli, quod mutationem minimam requirebat. Alioqui possit etiam sic scribi, *νόμοι μεμελήατ' ἀοιδῆς*, elisa diphthongo, ut in *εἰρύατ'* Iliad. IV. 248. *εἴατ'* Od. II. 403. VI. 307.

26. Vulgo *Κύνθος ὄρος*. Scripsi *Κύνθου ὄρος* cum Holstenio ad Steph. Byz. tum, quod infra hic poeta *Κύνθος* dicit masculino genere, tum quod Homeri usus genitivum exigit. Sic *Ἴδης ὄρεα, ὄρος Κυλλήνης, Τηρείης, Μαλειάων, Παρνησσοῦ, Αὐτοκάνης*. Nec repugnant, si recte interpungantur, Odyss. IX. 21. *ἐν δ' ὄρος αὐτῇ, Νήριτον εἰνοσίφυλλον, ἀριπρεπές*, et XIII. 351. *τοῦτο δὲ Νήριτόν ἐστιν, ὄρος, καταειμένον ὕλῃ*. Stephanus Byz. quidem Cynthum *καὶ θηλυκῶς καὶ οὐδετέρως* dici scribit, sed quum non

ἐξήει χέρσονδε λιγυπνοίοις ἀνέμοισιν.
ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσιν θνητοῖσιν ἀνάσσεις.

* * *

ὅσσους Κρήτη τ' ἐντὸς ἔχει καὶ δῆμος Ἀθηνέων
νῆσό; τ' Αἰγίνη, ναυσικλείτη τ' Εὔβοια,
Αἰγαί, Πειρεσίαι τε, καὶ ἀγχιάλη Πεπάρηθος,

---

inveniatur neutro genere dictum, praeter hunc hymni locum, qui nihil probat, masculino autem genere saepe dicatur, quod fugere Stephanum non potuit, hunc scripsisse καὶ θηλυκῶς καὶ ἀρσενικῶς crediderim.

29. Quis hic ordo narrationis est: ἔνθεν ἀπορνύμενος πᾶσιν θνητοῖσιν ἀνάσσεις, ὅσσους Κρήτη ἐντὸς ἔχει et aliae urbes: τόσσον ἐπ' ὠδίνουσα ἑκηβόλον ἵκετο Λητώ? Frustra excusantur, quae mori epicorum poetarum prorsus repugnant. Itaque, ut olim iam faciendum dixeram, lacunae signum posui. Poeta haec sic retulerat: *Latona, Apollinem paritura, adiit,* ὅσσους Κρήτη ἐντὸς ἔχει. Enumeratis illis urbibus, ut apte continuaretur oratio, repetiit ea, quae tot interiectis versibus e memoria auditoribus elabi potuerant, τόσσον ἐπ' ὠδίνουσα ἑκηβόλον ἵκετο Λητώ.

30. Legebatur Κρητὴ ἐντὸς ἔχει καὶ δῆμος Ἀθηνῶν. Scripsi Κρήτη τ', ob hiatum: vide ad Orph. p. 728. tum Ἀθηνέων, ut epicorum usus postulabat. Vide Porsonum ad Odyss. III. 278.

32. Qui Aegas haud dubie Euboeae urbem esse dictitat, non reputavit, Euboea commemorata mirum esse urbem eius insulae addi. Rectius fortasse insulam Euboeae vicinam, Hesychio aliisque auctoribus, intellexisset. Sed credibile est, Achaiae oppidum dici, memoratum Homero Iliad. VIII. 203. Vide Strabonem p. 385. seq. (591. seq.). Ἀγχιάλη non opus est ut mutetur, si oppidum insulae Peparethum, cuius mentionem Stephanus Byzantinus fecit, intelligas. Sic insulam et urbem confudit Sophocles, τῆς ἀμφιάλου Σαλαμῖνος ἔχων βάθρον ἀγχιάλου.

35. Autocane Aeolidis est. Nec nomen corruptum esse affirmaverim, licet facile scribi possit, καὶ ἄντα Κάνης ὄρος αἰπύ. Phocaeae enim Cana e regione est. Sed potuit Αὐτοκάνη vel

*Θρηΐκιός τ' Ἀθόως, καὶ Πηλίου ἄκρα κάρηνα,*
*Θρηΐκίη τε Σάμος, Ἴδης τ' ὄρεα σκιόεντα,*
*Σκῦρος, καὶ Φώκαια, καὶ Αὐτοκάνης ὄρος αἰπύ,*
*Ἴμβρος ἐϋκτιμένη, καὶ Λῆμνος ἀμιχθαλόεσσα,*
*Λέσβος τ' ἠγαθέη, Μάκαρος ἕδος Αἰολίωνος,*
*καὶ Χίος, ἣ νήσων λιπαρωτάτη εἰν ἁλὶ κεῖται,*

---

mons vocari, ut ab regione Canaea, vel pars montis, ut ab aliis partibus fecerneretur. Strabo p. 615. (914) *εἶτ' ἐν ἑκατὸν σταδίοις ἡ Κάνη, τὸ ἀνταῖρον ἀκρωτήριον τῷ Λέκτῳ, καὶ ποιοῦν τὸν Ἀδραμυττηνὸν κόλπον, οὗ μέρος καὶ ὁ Λαϊτικός ἐστι. Κάναι δὲ πολίχνιον Λοκρῶν τῶν ἐκ Κύνου, κατὰ τὰ ἄκρα τῆς Λέσβου τὰ νοτιώτατα, κείμενον ἐν τῇ Καναίᾳ· αὕτη δὲ μέχρι τῶν Ἀργινουσῶν διήκει καὶ τῆς ὑπερκειμένης ἄκρας, ἣν Αἶγα τινὲς ὀνομάζουσιν ὁμωνύμως τῷ ζώῳ· δεῖ δὲ μακρῶς τὴν δευτέραν συλλαβὴν ἐκφέρειν Αἰγᾶν, ὡς ἀκτὰν καὶ ἀρχάν· οὕτω γὰρ καὶ τὸ ὄρος ὅλον ὠνομάζετο, ὃ νῦν Κάνην καὶ Κάνας λέγουσι.* Addit mox: *ὕστερον δὲ αὐτὸ τὸ ἀκρωτήριον Αἰγα κεκλῆσθαι, ὡς Σαπφώ φησι, τὸ δὲ λοιπὸν Κάνη καὶ Κάναι.* Adfcripfi haec propterea, ut appareret Aefageam non effe Aegam.

36. Legebatur *Ἴμβρος τ' εὐκτιμένη.* Delevi copulam. Semper enim Homerus *ἐϋκτίμενος,* pariter atque in plerisque vocabulis *εὖ* ante duplicem confonantem habentibus, et in *ἐΰννητος, ἐΰσσελμος, ἐϋμμελίης,* ac proprio nomine *Εὔσσωρος,* Quaedam rariora diphthongo non foluta occurrunt: *εὔπρηστος* Iliad. XVIII. 471. *εὔπρυμνος* IV. 248. *εὔστρωτος* hymn. Ven. 158. Alia variant. Sic *εὔδμητος* Od. XX. 302. *εὔξεστος* Iliad. XVI. 402. *εὔφρων* XV. 99. *εὐφραίνειν* XVII. 28. XXIV. 102. Od. II. 311. *εὐφροσύνη* IX. 6. X. 465. XX. 8. *εὐφραδέως* XIX. 352. alibi folutam diphthongum habentia. Alia denique corrupta funt, vel certe dubia. Od. VII. 97. pro *λεπτοὶ εὔννητοι* legendum *λεπτοὶ ἐΰννητοι,* quod vitium etiam Iliad. XVIII. 596. fublatum eft. Iliad. XXIII. 115. *σειράς τε πλεκτὰς* fuiffe pro *σειράς τ' εὐπλέκτους,* coniicias ex Od. XXII. 175. 192. *Εὔσκοπος* in hymn. Ven. 163. male erat pro *ἐΰσκοπος.*

παιπαλόεις τε Μίμας, καὶ Κωρύκου ἄκρα κάρηνα,
καὶ Κλάρος αἰγλήεσσα, καὶ Αἰσαγέης ὄρος αἰπύ,
καὶ Σάμος ὑδρηλή, Μυκάλης τ' αἰπεινὰ κάρηνα,
Μίλητός τε, Κόως τε, πόλις Μερόπων ἀνθρώπων,
καὶ Κνίδος αἰπεινή, καὶ Κάρπαθος ἠνεμόεσσα,
Νάξος τ', ἠδὲ Πάρος, Ῥηναιά τε πετρήεσσα.
τόσσον ἔπ' ὠδίνουσα ἑκηβόλον ἵκετο Λητώ,
εἴ τίς οἱ γαιέων υἱεῖ θέλοι οἰκία θέσθαι.

---

39. Παιπαλόεις, obſcuri ſignificatus vocabulum, quum ſit a πάλλειν deductum, quod eſt *criſpare, torquere,* videtur *tortuoſum* ſignificare. Hinc viarum eſt et montium et inſularum epitheton. Et inſularum quidem a multiplici littorum flexu.

41. 43. De Samo ſic loquitur Strabo p. 457. (701) ut etiam nomen Homero notum fuiſſe indicet. Cnidum autem quum idem p. 653. (965) νεωτέραν τῶν ὑφ' Ὁμήρου λεγομένων vocat, non Homero, ſed iis, quae is de Heraclidis retulerit, recentiorem eſſe ſignificat. Haec monere viſum eſt propter illa, quae Matthiae in prolegomenis ad animadverſiones in Homeri hymnos p. 22. disputavit: quae omnis disputatio argumentis nititur valde infirmis.

48. Libri vett. εἴ τις σοι γαιέων υἱεῖ θέλει. Cod. Pariſ. A. εἴ τις σοι γαιάων. C. εἴ τις γαιάων. B. εἴ τις οἱ γαιάων. Varie correxerunt viri docti. Equidem ſcribendum putem εἴ τίς οἱ γαιέων ἐθέλοι υἷϊ οἰκία θέσθαι, non tam quod in antiquo poeta οἰκία brevem vocalem praecedere poſtulet, quam quod in formis θέλειν et υἱεῖ haereo. Υἱεῖ quidem duabus ſyllabis vereor ne nusquam dixerit Homerus. Nam Iliad. XVIII. 144. 458. XXI. 34. XXII. 362. Od. XI. 272. ubi eſt υἱεῖ ἐμῷ, υἱεῖ Πριάμοιο, υἱεῖ ἑκηβόλῳ, υἱεῖ, ὁ δ'. vix poteſt dubitari quin υἷϊ reponendum ſit, quod etiam Iliad. XXI. et XXII. in variis lectionibus eſt, licet in priore loco ſcholiaſtes υἱεῖ tueatur. Recte υἷϊ pro υἱεῖ editum Od. XIV. 435. in ſine verſus. Corripi priorem ſyllabam potuiſſe docet ſic uſurpatum υἱὸς Iliad. VI. 130. et alibi. Tum

αἳ δὲ μάλ' ἐτρόμεον καὶ ἐδείδισαν, οὐδέ τις ἔτλη
Φοῖβον δέξασθαι, καὶ πιοτέρη περ ἐοῦσα·
πρίν γ' ὅτε δή ῥ' ἐπὶ Δήλου ἐβήσετο πότνια Λητώ,
καί μιν ἀνειρομένη ἔπεα πτερόεντα προσηύδα·
Δῆλ', εἰ γάρ κ' ἐθέλοις ἕδος ἔμμεναι υἷος ἐμοῖο,
Φοίβου Ἀπόλλωνος, θέσθαι τ' ἔνι πίονα νηόν.
ἄλλος δ' οὔτις σεῖο πόθ' ἅψεται, οὐδέ σε τίσει,
οὐδ' εὔβων σέ γ' ἔσεσθαι ὀΐομαι, οὔτ' εὔμηλον,

---

ἐθέλειν non θέλειν, epicum est: de qua re aliquid sensisse suspiceris Schraderum ad Musaeum v. 219. In Odyss. XV. 316. ubi edi solet ὅττι θέλοιεν, Aristarchum legisse ὅττ' ἐθέλοιεν observat scholiastes apud Porsonum. Nec vitio carere putem illud Apollonii Rhodii II. 960.

οὐδ' ἔτι μιμνάζειν θέλον ἔμπεδον.

Qui fortasse scripsit,

οὐδ' ἔτι μιμνάζειν ἄδεν ἔμπεδον.

51. Vulgo εἰ γάρ κ' ἐθέλεις. Alii aliter correxerunt. Novissimus editor ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις ex Odyss. XVIII. 356. ξεῖν' ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις. Rarus hic hiatus. Praeter illum Odysseae locum non nisi ἦ ἄρ τι apud Homerum Iliad. XIX. 56. Od. XX. 166. et δὴ ἄρ' Od. VI. 110. VII. 18. X. 275. observavi. Sed recte vulgo, modo reponatur optativus. Εἰ enim optantis est simulque hortantis, ut Iliad. X. 111. XVI. 559. XXIV. 74. Od. IV. 388. Nec particulam κὲν aversatur haec loquutio: Odyss. XV. 544.

Τηλέμαχ', εἰ γάρ κεν σὺ πολὺν χρόνον ἐνθάδε μίμνοις.

Haec particula apud Homerum non, ut apud recentiores, comes est optativi aliorumque modorum in certis quibusdam loquutionibus, sed sola per se additur, ut dubitationem aliquam indicet. Haec observatio patet latissime, magnamque constituit Homericae orationis ab recentiori differentiam.

54. Εὔβους, omissum a lexicographis praeter Scapulam, ne-

οὐδὲ τρύγην οἴσεις, οὔτ' ἄρ φυτὰ μυρία φύσεις.
αἱ δέ κ' Ἀπόλλωνος ἑκαέργου νηὸν ἔχησθα,
ἄνθρωποί τοι πάντες ἀγινήσουσ' ἑκατόμβας,
ἐνθάδ' ἀγειρόμενοι· κνίσση δέ τοι ἄσπετος αἰεί.
[δηρὸν ἄναξ βόσκοι σε, θεοὶ δέ κέ σ' αἰὲν ἔχωσιν
χειρὸς ἀπ' ἀλλοτρίης, ἐπεὶ οὔ τοι πῖαρ ὑπ' οὖδας.]
Ὣς φάτο· χαῖρε δὲ Δῆλος, ἀμειβομένη δὲ προσηύδα·
Λητοῖ, κυδίστη θύγατερ μεγάλου Κοίοιο,
ἀσπασίη μὲν ἔγωγε γονὴν ἑκάτοιο ἄνακτος
δεξαίμην· αἰνῶς γὰρ ἐτήτυμόν εἰμι δυσηχὴς
ἀνδράσιν· ὧδε δέ κεν περιτιμήεσσα γενοίμην.
ἀλλὰ τόδε τρομέω, Λητοῖ, ἔπος, οὐδέ σε κεύσω·
λίην γάρ τινα φασὶν ἀτάσθαλον Ἀπόλλωνα
ἔσσεσθαι, μέγα δὲ πρυτανευσέμεν ἀθανάτοισιν
καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.
τῷ ῥ' αἰνῶς δείδοικα κατὰ φρένα καὶ κατὰ θυμόν,

---

ſcio an non occurrat alibi. Vulgo legebatur σε ἔσεσθαι et οὐδ' εὔμηλον.

59. De hoc verſu vide praefationem. Ἂν omiſit Homerus Iliad. II. 340. V. 303. X. 247. 557. XV. 45. XIX. 321. XX. 427. XXI. 274. XXIII. 151. XXIV. 213. Odyſſ. III. 319. VII. 314. XI. 103. XII. 77. XIV. 123. XVI. 386.

64. Δυσηχὴς non eſt de mala fama intelligendum, ſed ſignificat *odioſum*. Id quum alibi belli epitheton ſit, poſſet quidem de armorum ſtrepitu accipi, quae prima ſignificatio eſt, niſi repugnaret θάνατος δυσηχὴς Iliad. XVI. 442. XVIII. 464. XXII. 180.

71. Edd. vett. ἀτιμήσῃ. Codd. Pariſ. ἀτιμήσας: quod correctoris eſt, ſi vera ſunt, quae in praefatione indicavi.

78. Codd. Pariſ. οἰκία ποιήσονται, ἕκαστά τε φῦλα νεπούδων.

μή, ὁπόταν τὸ πρῶτον ἴδῃ φάος ἠελίοιο,
νῆσον ἀτιμήσῃ, ἐπειὴ κραναήπεδός εἰμι.
[ποσσὶ καταστρέψας, ὤσῃ ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν.]
ἔνθ' ἐμὲ μὲν μέγα κῦμα κατὰ κρατὸς ἅλις αἰεὶ
κλύσσει· ὁ δ' ἄλλην γαῖαν ἀφίξεται, ᾗ κεν ἅδῃ οἷ
τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα.
πουλύποδες δ' ἐν ἐμοὶ θαλάμας, φῶκαί τε μέλαιναι
οἰκία ποιήσονται ἀκηδέα, χήτεϊ λαῶν.
ἀλλ' εἴ μοι τλαίης γε θεὰ μέγαν ὅρκον ὀμόσσαι,
ἐνθάδε μιν πρῶτον τεύξειν περικαλλέα νηόν,
ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον, αὐτὰρ ἔπειτα

* * *

πάντας ἐπ' ἀνθρώπους, ἐπειὴ πολυώνυμος ἐστιν.
Ὣς ἄρ' ἔφη· Λητὼ δὲ θεῶν μέγαν ὅρκον ὄμοσσεν·
Ἴστω νῦν τάδε γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος

---

81. Poſt hunc verſum lacunae ſignum poſui. Nam *πάντας ἐπ' ἀνθρώπους* ſic intelligere, ut oraculum dicatur omnium hominum commune fore, ineptum eſt, praegreſſis verbis, *ἔμμεναι ἀνθρώπων χρηστήριον*. Apollo autem ſi putaretur iuberi, condito oraculo, alias gentes inviſere, non ſolum omiſſio verbi *ἴτω* prorſus ab Homerico uſu abhorreret, ſed perabſurde etiam diceretur *πάντας ἐπ' ἀνθρώπους*. Id Homerus vel eius imitator dixiſſet, *ὅππῃ μιν κραδίη θυμός τε κελεύει*, ut Iliad. XIII. 784. Od. XIV. 517. XV. 338. XVI. 81. XXI. 342. Itaque huiusmodi ſententiam excidiſſe puto: *ac deinde Apollinis claritatem fama perventuram eſſe ad omnes homines.* Hanc ſuſpicionem firmat ſimilis locus Iliad. X. 212. (v. etiam Od. I. 298.)

*μέγα κέν οἱ ὑπουράνιον κλέος εἴη*
*πάντας ἐπ' ἀνθρώπους.*

ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν·
ἦ μὴν Φοίβου τῆδε θυώδης ἔσσεται αἰεὶ
βωμὸς καὶ τέμενος, τίσει δὲ σέ γ' ἔξοχα πάντων.
Αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ὄμοσέν τε, τελεύτησέν τε τὸν ὅρκον,
Δῆλος μὲν μάλα χαῖρε γόνῳ ἑκάτοιο ἄνακτος.
Λητὼ δ' ἐννῆμάρ τε καὶ ἐννέα νύκτας ἀέλπτοις
ὠδίνεσσι πέπαρτο. θεαὶ δ' ἔσαν ἐνθάδε πᾶσαι,
ὅσσαι ἄρισται ἔασι, Διώνη τε, Ῥείη τε,
Ἰχναίη τε Θέμις, καὶ ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη,
ἄλλαι τ' ἀθάναται, νόσφιν λευκωλένου Ἥρης·
[ἧστο γὰρ ἐν μεγάροισι Διὸς νεφεληγερέταο.]
μούνη δ' οὐκ ἐπέπυστο μογοστόκος Εἰλείθυια·
ἧστο γὰρ ἄκρῳ Ὀλύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν,
Ἥρης φραδμοσύνῃ λευκωλένου, ἥ μιν ἔρυκεν
ζηλοσύνῃ, ὅτ' ἄρ' υἱὸν ἀμύμονά τε κρατερόν τε
Λητὼ τέξεσθαι καλλιπλόκαμος τότ' ἔμελλεν.
αἱ δ' Ἶριν προὔπεμψαν ἐϋκτιμένης ἀπὸ νήσου,
ἀξέμεν Εἰλείθυιαν, ὑποσχόμεναι μέγαν ὅρμον,

---

87. Vulgo *αἰέν*. Recte Barnesius *αἰεί*, ut in fine versus. Vide praefat. ad Orph. p. 9.

92. Vulgo *ἔνδοθι*. Postulante epicorum usu scribendum erat *ἔνθαδε*. Deberent talia tacite corrigi posse.

94. Miror nimis doctum videri potuisse, si Themis ab urbe Ichnis Ichnaea vocaretur. Immo doctum esset, si ab investigando. Praeterea Homerus neque epitheta philosophiam redolentia habet, neque investigatricem *ἰχναίην*, sed alio et quidem composito vocabulo appellaturus fuisset. Ab urbe nominatam satis tuentur, quas iam Ilgenius commemoravit,

χρυσείοισι λίνοισιν ἐερμένον, ἐννεάπηχυν.
νόσφιν δ' ἤνωγον καλέειν λευκωλένου Ἥρης,
μή μιν ἔπειτ' ἐπέεσσιν ἀποστρέψειεν ἰοῦσαν.
αὐτὰρ ἐπεὶ τόγ' ἄκουσε ποδήνεμος ὠκέα Ἶρις,
βῆ ῥα θέειν, ταχέως δὲ διήνυσε πᾶν τὸ μεσηγύ·
αὐτὰρ ἐπεί ῥ' ἵκανε θεῶν ἕδος, αἰπὺν Ὄλυμπον,
αὐτίκ' ἄρ' Εἰλείθυιαν ἀπ' ἐκ μεγάροιο θύραζε
ἐκπροκαλεσσαμένη ἔπεα πτερόεντα προσηύδα,
πάντα μάλ' ὡς ἐπέτελλον Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.
τῇ δ' ἄρα θυμὸν ἔπειθεν ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν.
βὰν δὲ ποσὶν, τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι.
εὖτ' ἐπὶ Δήλου ἔβαινε μογοστόκος Εἰλείθυια,
δὴ τότε τὴν τόκος εἷλε, μενοίνησεν δὲ τεκέσθαι.
ἀμφὶ δὲ φοίνικι βάλε πήχεε, γοῦνα δ' ἔρεισεν
λειμῶνι μαλακῷ· μείδησε δὲ γαῖ' ὑπένερθεν·
ἐκ δ' ἔθορεν πρὸ φόωσδε· θεαὶ δ' ὀλόλυξαν ἅπασαι.
ἔνθα σε, ἤϊε Φοῖβε, θεαὶ λόον ὕδατι καλῷ
ἁγνῶς καὶ καθαρῶς, σπάρξαν δ' ἐν φάρεϊ λευκῷ,

---

Ἥρη τ' Ἀργείη, καὶ Ἀλαλκομενηῒς Ἀθήνη.

Amphitritae epitheton est ex Od. XII. 97.

κήτε', ἃ μυρία βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη.

104. Vulgo ἐεργμένον, correctum a Barnesio et Ilgenio ex Od. XVIII. 295.

116. Vulgo τὴν τότε δή. Emendavit Ilgenius.

118. Operarum errore, opinor, in Wolfiana editione est *μείδησέ τε*: quae si esset omnium librorum lectio, corrigi debebat. Servarunt tamen recentissimi editores. At edd. vett. omnes et ipsa Ernestina recte *μείδησε δέ*.

λεπτῷ, νηγατέῳ· πέρι δὲ χρύσεον στρόφον ἧκαν.
οὐδ' ἄρ' Ἀπόλλωνα χρυσάορα θήσατο μήτηρ,
ἀλλὰ Θέμις νέκταρ τε καὶ ἀμβροσίην ἐρατεινὴν
ἀθανάτῃσιν χερσὶν ἐπήρξατο· χαῖρε δὲ Λητώ,
οὕνεκα τοξοφόρον καὶ καρτερὸν υἱὸν ἔτικτεν.
αὐτὰρ ἐπειδὴ Φοῖβε κατέβρως ἄμβροτον εἶδαρ,
οὔ σέ γ' ἔπειτ' ἴσχον χρύσεοι στρόφοι ἀσπαίροντα,
οὐδέ τι δέσματ' ἔρυκε, λύοντο δὲ πείρατα πάντα.
αὐτίκα δ' ἀθανάτῃσι μετηύδα Φοῖβος Ἀπόλλων·
Εἴη μοι κίθαρίς τε φίλη καὶ καμπύλα τόξα,
χρήσω δ' ἀνθρώποισι Διὸς νημερτέα βουλήν.
Ὣς εἰπὼν ἐβίβασκεν ἐπὶ χθονὸς εὐρυοδείης
Φοῖβος ἀκερσεκόμης ἑκατηβόλος· αἳ δ' ἄρα πᾶσαι

---

129. Praetuli δέσματ' ἔρυκε, ut elegantius, ſive conſtructionem, ſive ſonum ſpectes. Codd. Pariſ. δεσμά σ'. Nec δέσματ' eſt in Florentina, Aldinis, et Ceph. ſed δεσμάτ'. Δεσμὰ non eſt apud Homerum, niſi in hymnis.

133. Vulgo ἀπό. Emendavit Matthiae.

139. Edd. vett. ὡς ὅτε ῥίον. Codd. Pariſ. et Moſc. ὡς ὅτε τε ῥίον. Barneſianum eſt, ὡς ὅτε τι ῥίον, receptum ab aliis. Ἀνθεῖν ſemel eſt apud Homerum, et quidem de lanugine barbae, Od. XI. 319. Si ἀνθεῖν exquiſitius eſſet pro hymni aetate, quid verbo θάλλειν in Homero eſſet faciendum?

142. Vulgo ἄλλοτε δ' αὖ νήσους. Ilgenius ἂν νήσους, ut ego quoque correxeram. Particula abeſſe nullo modo poteſt. Caeterum quum coniungi ἤπειρος et νῆσοι ſoleant, nec cauſſa ſit, quare ſolas inſulas adiiſſe dicatur Apollo, ad Vigerum p. 718. ſicut etiam Ilgenius fecit, ἀνέρας de terra continenti, ut apud Pindarum Ol. VI. 15. intelligendos cenſui, et adhuc cenſeo. Non diſſimilis eſt Aeſchyli locus in Perſis v. 949.

θάμβεον ἀθάνατοι· χρυσῷ δ' ἄρα Δῆλος ἅπασα
[βεβρίθει, καθορῶσα Διὸς Λητοῦς τε γενέθλην,
γηθοσύνῃ, ὅτι μιν θεὸς εἵλετο οἰκία θέσθαι
νήσων ἠπείρου τε, φίλησε δὲ κηρόθι μᾶλλον.]
ἤνθησ', ὡς ὅτε τε ῥίον οὔρεος ἄνθεσιν ὕλης.
Αὐτὸς δ' ἀργυρότοξε, ἄναξ ἑκατηβόλ' Ἄπολλον,
ἄλλοτε μέν τ' ἐπὶ Κύνθου ἐβήσαο παιπαλόεντος,
ἄλλοτε δ' ἂν νήσους τε καὶ ἀνέρας ἠλάσκαζες.
πολλοί τοι νηοί τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα,
πᾶσαι δὲ σκοπιαί τε φίλαι καὶ πρώονες ἄκροι
ὑψηλῶν ὀρέων, ποταμοί θ' ἅλαδε προρέοντες.
ἀλλὰ σὺ Δήλῳ, Φοῖβε, μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ,
ἔνθα τοι ἑλκεχίτωνες Ἰάονες ἠγερέθονται

---

ἤσω τοι καὶ πανόδυρτον
λαοπαθῆ τε σεβίζων
ἀλίτυπά τε βάρη
πόλεως γέννας πενθητῆρος.

Scio haec, metro ſtrophico arguente, corrupta eſſe. Non puto tamen vitia eſſe eiusmodi, ut eum locum hic in exemplum trahi vetent. Scholiaſtes MS. Guelferb. ἤγουν ὡς πρώην εὐφήμουν σε, οὕτω καὶ πανόδυρτον νῦν μέλος πέμψω πενθητῆρος, σεβίζων καὶ διὰ θρήνου τιμῶν τὰ λαοπαθῆ καὶ ἀλίτυπα βάρη τῆς πόλεως, τουτέστι τὰ ἐν χέρσῳ καὶ θαλάττῃ τοῖς Πέρσαις συμβάντα.

146. Hunc et quatuor ſequentes verſus affert Thucydides III. 104. in cuius libris magna eſt nec temere negligenda varietas. Et in hoc quidem verſu ita habent Thucydidis codices: ἄλλοτε vel ἀλλ' ὅτε Δήλῳ Φοῖβε μάλιστά γε θυμὸν ἐτέρφθης. Vt aliae in his codd. lectiones, ita haec quoque ex interpretatione orta videtur, quandoquidem in cod. Moſcov. eſt ἐπιτέρπεο ἦτορ.

*αὐτοῖς σὺν παίδεσσι καὶ αἰδοίῃς ἀλόχοισιν.*
*οἵ δέ σε πυγμαχίῃ τε καὶ ὀρχηθμῷ καὶ ἀοιδῇ*
*μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα.*
*Φαίη κ' ἀθανάτους καὶ ἀγήρως ἔμμεναι αἰεί,*
*ὃς τότ' ἐπαντιάσει', ὅτ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν·*
*πάντων γάρ κεν ἴδοιτο χάριν, τέρψαιτο δὲ θυμόν,*
*ἄνδρας τ' εἰσορόων, καλλιζώνους τε γυναῖκας,*
*νῆάς τ' ὠκείας, ἠδ' αὐτῶν κτήματα πολλά.*
*πρὸς δὲ, τόδε μέγα θαῦμα, ὅου κλέος οὔποτ' ὀλεῖται,*
*κοῦραι Δηλιάδες, ἑκατηβελέταο θεράπναι·*
*αἵ τ' ἐπεὶ ἂρ πρῶτον μὲν Ἀπόλλων' ὑμνήσωσιν,*
*αὖτις δ' αὖ Λητώ τε καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν*

---

148. Vulgo *αὐτοῖς σὺν παίδεσσι καὶ αἰδοίῃς ἀλόχοισιν.* Ad Vigerum p. 815. correxeram *αὐτοῖσιν παίδεσσιν.* Perraro enim *σὺν* additur, ut Iliad. XIV. 498. *ἀπήραξεν δὲ χαμᾶζε αὐτῇ σὺν πήληκι κάρη,* quod Iliad. XX. 482. ſine particula dicitur, *τῆλ' αὐτῇ πήληκι κάρη βάλε.* Et IX. 194. *αὐτῇ σὺν φόρμιγγι.* Apud Thucydidem eſt in uno libro *αὐτοῖς σὺν τεκέεσσι γυναιξί τε αἰδοίῃσιν,* in plerisque autem *σὺν σφίσι* vel *σφοῖσιν τεκέεσσι γυναιξί τε σὴν* vel *σὺν ἐς ἀγυιάν* vel *ἄγνιαν.* Quod ſi verba poetica ab his, quae poſſunt interpretum eſſe, diſtinxerimus, verſum habebimus elegantiſſimum:

*σὺν σφοῖσιν τεκέεσσι καὶ αἰδοίῃς ἀλόχοισιν.*

Homerus Iliad. IV. 162.

*σὺν σφῇσιν κεφαλῇσι γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.*

Reliquas lectiones ex hac fere paraphraſi ortas ſuſpicere: *σὺν τοῖς αὐτῶν παισὶ γυναιξί τε σὴν ἐς ἄγνειαν.* Nolui tamen vulgatam lectionem mutare, quae ab aliquo rhapſodo profecta eſſe potuerit.

149. *Ὀρχηθμῷ* vulgo, et ſic unus codex Thucydidis, cuius reliqui libri *ὀρχηστυῖ* habent. Hoc neſcio an praeferendum ſit. Quamvis enim utraque forma et proba ſit et Homerica, ſolent tamen epici poetae repetendis Homeri verſibus vel eorum par-

μνησάμεναι, ἀνδρῶν τε παλαιῶν ἠδὲ γυναικῶν
ὕμνον ἀείδουσιν, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων.
πάντων δ' ἀνθρώπων φωνὰς καὶ κρεμβαλιαστὺν
μιμεῖσθ' ἴσασιν· φαίη δέ κεν αὐτὸς ἕκαστος,
φθέγγεσθ'· οὕτω σφιν καλὴ συνάρηρεν ἀοιδή.
'Αλλ' ἄγεθ', ἱλήκοι μὲν 'Απόλλων 'Αρτέμιδι ξύν,
χαίρετε δ' ὑμεῖς πᾶσαι· ἐμεῖο δὲ καὶ μετόπισθεν
μνήσασθ', ὁππότε κέν τις ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
ἐνθάδ' ἀνείρηται ξεῖνος ταλαπείριος ἐλθών·
ὦ κοῦραι, τίς δ' ὔμμιν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν
ἐνθάδε πωλεῖται, καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα;
ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθ' εὐφήμως·

---

ticulis delectari. Atqui ὀρχηστυῖ καὶ ἀοιδῇ est Od. VIII. 253. XVII. 605.

150. Interpreti debetur lectio καθιστῶσιν vel καθέσωσιν vel καθέζωσιν.

151. 152. Hos versus iam pridem eodem modo emendaveram, ut eos edidit Ilgenius: quorum si unus eiicitur, cur servetur ullus? Vulgo; οἳ τότ' ἐπαντία σεῖό τ' 'Ιάονες. Tres Paris. οἳ δὴ τότ' ἐπαντία σεῖό τ' 'Ιάονες. Cod. Mosc. οἳ τότ' ἐπάντίᾶσι τ' 'Ιάονες.

165. Versus 165 — 172. affert Thucydides III. 104. e cuius codd. receptum Ruhnkenio auctore ἱλήκοι μὲν pro δὴ Λητὼ μέν. Codicis Mosc. lectio, ἀλλ' ἄγε Λητὼ μὲν καὶ 'Απόλλων 'Αρτέμιδι ξύν, videtur a correctore profecta esse.

166. Edd. Aldd. Ceph. χαίρετε ὑμεῖς. Δὲ ab H. Stephano additum esse scribit novissimus editor. At iam ed. Flor. χαίρετε δ' ὑμεῖς.

168. Plerique codd. Thucyd. ἐνθάδ' ἀνείρηται ταλαπείριος ἄλλος ἐπελθών. Lectio haec inde orta videtur, quod librario, e cuius codice manavit, obversarentur verba ἄλλος ἐπελθών, versum terminantia Iliad. IV. 334.

171. Edd. Aldd. Ceph. ὑμεῖς εὖ. Hic quoque novissi-

τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐπὶ παιπαλοέσσῃ,
τοῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριστεύουσιν ἀοιδαί.
ἡμεῖς δ' ὑμέτερον κλέος οἴσομεν, ὅσσον ἐπ' αἶαν
ἀνθρώπων στρεφόμεσθα πόλεις εὐναιεταώσας·
οἱ δ' ἔπι δὴ πείσονται, ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμόν ἐστιν.

---

mus editor δ' a Stephano insertum dicit, qui nihil nisi ed. Florentinae scripturam repetiit. Tum vulgo ὑποκρίνασθε ἀφ' ἡμέων, quod ex aliquibus Thucydidis codd. emendavit Ruhnkenius. Vitiosa lectio est etiam apud Aristidem in oratione κατὰ τῶν ἐξορχουμένων vol. II. p. 409.

173. Damnarunt hunc versum cum tribus sequentibus editores, auctore Ruhnkenio, qui hanc animadversionem quum aliis, tum Valkenario, se probasse scribit. Mihi secus videtur. De primo quidem horum versuum iniuria Ruhnkenius, verbis ἀριστεύουσιν ἀοιδαὶ offensus, exclamat: *tua te lingua prodit, o bone: digna haec sunt Nonni aetate, non Homeri.* Vsum verbi ἀριστεύειν non potuit reprehendere, quo verbo quum Pindarus, Aeschylus, Theocritus usi sunt, tum ipse Homerus, nec semel. Nec pluralem ἀοιδαί, quo non utitur Homerus, in mente habuit. Quod si aliquid hic est, in quo haerere potuerit, id aut in eo sit positum necesse est, quod ἀοιδαὶ dicantur ἀριστεύειν, aut ad omnem sententiam, quae in hoc versu est, spectabit. Suspiceris eum in hac opinione fuisse, in qua nescio an fuerit Aristarchus, ἀριστεύειν ab Homero non nisi de hominibus usurpari. Hic certe Iliad X. 306. ubi de equis erat,

οἵ κεν ἀριστεύωσι θοῇς ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν,

legit, οἵ κεν ἄριστοι ἔωσι. At iam Pindarus dixit ἀριστεύει ὕδωρ, ut ne sic quidem de Nonno cogitari queat. Sententia vero tam parum habet offensionis, ut maxime convenire poetae videatur, si suorum carminum praedicet excellentiam: quod ille tam facit sine invidia, quam ubique similia dicunt Homerici heroes. Et quid aliud hoc versu continetur, quam quod in his verbis est, quae nemo putat spuria esse, τέῳ τέρπεσθε μάλιστα? Sed fortasse gravius videbitur aliud argumentum, quo hunc versum

αὐτὰρ ἐγὼν οὐ λήξω ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα
ὑμνέων ἀργυρότοξον, ὃν ἠΰκομος τέκε Λητώ.

ὦ ἄνα, καὶ Λυκίην, καὶ Μῃονίην ἐρατεινήν,
καὶ Μίλητον ἔχεις, ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν·

---

damnavit Ruhnkenius. Vix enim praeteriturum ſuiſſe Thucydidem haec verba, quod ad Homerum pertinerent. At brevitatis ſtudioſus Thucydides recte omiſit verſum, qui nihil eorum, quae demonſtrare vellet, eſſet probaturus. Videbat enim, id quod iudicavit rectiſſime, eo verſu non dici de certamine muſico, de quo ipſe diſſerebat, ſed generatim poetam laudari. Reliquos tres verſus, maxime hunc,

οἱ δ' ἔπι δὴ πείσονται, ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμόν ἐστιν,

eiusmodi eſſe ait Ruhnkenius, ut nemo, ſemel monitus, eos pro Homericis ſit habiturus. Equidem ne in his quidem verſibus quid reprehendi poſſit video, niſi forte aliquis, quod tamen non poteſt tuto fieri, rariorem loquutionem στρεφόμεσθα πόλεις improbet. Poterat enim poeta dicere, ἄνδρας ἀναστρεφόμεσθα, vel ἐπιστρεφόμεσθα, πόλεις τ' εὖ ναιεταώσας, ut Od. XIII. 325. ἀλλ' ἄλλην τινὰ γαῖαν ἀναστρέφομαι, et Od. XVII. 486. ἐπιστρωφῶσι πόληας. Ab illa igitur loquutione ſi diſceſſeris, hi verſus, maximeque is, quem maxime vituperat Ruhnkenius, eum habent antiquae ſimplicitatis colorem, ut ante alios pro genuinis habendi ſint. Caeterum neminem ſpero fore, qui verba Thucydidis, ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου ἐς τάδε τὰ ἔπη, pro Ruhnkenii opinione interpretetur. Gravius argumentum peti poſſet e verbis Ariſtidis, niſi hic e ſolo Thucydide videretur hunc hymnum cognitum habuiſſe. Is vol. II. p. 409. ſic ſcribit: τίς ἄριστος ἐπῶν ποιητής; Ὅμηρος. τίς δ' ὡς πλεῖστον ἀνθρώποις ἀρέσκει, καὶ τῷ μάλιστα χαίρουσιν; ἢ τοῦτό γε καὶ αὐτὸς ὑπὲρ αὑτοῦ προείδετο. διαλεγόμενος γὰρ ταῖς Δηλιάσι, καὶ καταλύων τὸ προοίμιον, εἴ τις ἔροιθ' ὑμᾶς φησὶν, ὦ κοῦραι, τίς δ' ὑμῖν ἀνὴρ ἥδιστος ἀοιδῶν ἐνθάδε πωλεῖται καὶ τέῳ τέρπεσθε μάλιστα, ὑμεῖς δ' εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθε ἀφ' ἡμῶν, τυφλὸς ἀνήρ, οἰκεῖ δὲ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.

αὐτὸς δ' αὖ Δήλοιο περικλύστης μέγ' ἀνάσσεις.
εἶσι δὲ Φορμίζων Λητοῦς ἐρικυδέος υἱὸς
Φόρμιγγι γλαφυρῇ πρὸς Πυθὼ πετρήεσσαν,
ἄμβροτα εἵματ' ἔχων τεθυωμένα· τοῖο δὲ φόρμιγξ
χρυσέου ὑπὸ πλήκτρου καναχὴν ἔχει ἱμερόεσσαν.
ἔνθεν δὲ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς, ὥςτε νόημα,
εἶσι Διὸς πρὸς δῶμα, θεῶν μεθ' ὁμήγυριν ἄλλων·
αὐτίκα δ' ἀθανάτοισι μέλει κίθαρις καὶ ἀοιδή.
Μοῦσαι μέν θ' ἅμα πᾶσαι ἀμειβόμεναι ὀπὶ καλῇ
ὑμνεῦσίν ῥα θεῶν δῶρ' ἄμβροτα, ἠδ' ἀνθρώπων
τλημοσύνας, ὅσ' ἔχοντες ὑπ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν
ζώουσ' ἀφραδέες καὶ ἀμήχανοι, οὐδὲ δύνανται
εὑρέμεναι θανάτοιό τ' ἄκος καὶ γήραος ἄλκαρ.
αὐτὰρ ἐϋπλόκαμοι Χάριτες καὶ ἐΰφρονες Ὧραι,
Ἁρμονίη θ', Ἥβη τε, Διὸς θυγάτηρ τ' Ἀφροδίτη,

---

181. Cod. Mosc. *αὐτὸς γὰρ Δήλοιο περικλύστου*. *Αὐτὸς* est *idem*.

188. Edd. Aldd. Ceph. *αὐτίκα ἀθανάτοισι*, non Florentina, in qua est *αὐτίκα δ'*, quod Stephano tribuit novissimus editor.

200. Ἐν δ' αὖ ex emendatione Matthiae. Vulgo ἔνθ' αὖ.

208. Vulgo *μνηστῆσιν*, quod in Florentina sine iota subscripto est. Inde recte *μνηστῆρσιν* alii. Ante enim, quam quis *μνηστύσσιν* scribat, pluralis eius nominis erit exemplis firmandus.

209. Vulgo *ὁππόσ' ἀνωόμενος*. Cod. Mosc. *ὁππόταν ἱέμενος*. Metro repugnante correxerunt *ὥς ποτε μνωόμενος*, quod male tueretur, qui Odyss. XVIII. 35. afferret,

*ἡδὺ δ' ἄρ' ἐκγελάσας μετεφώνεε μνηστήρεσσιν.*

Ibi recte alii libri *μετεφώνει*. Scribendum videtur, *ὁππότ' ἀγαιόμενος*, proxime ad veterem scripturam. Indignatum Coronidi Apollinem fuisse constat. Verbo usus Homerus Od. XX. 16.

ὀρχεῦντ', ἀλλήλων ἐπὶ καρπῷ χεῖρας ἔχουσαι.
τῇσι μὲν οὔτ' αἰσχρὴ μεταμέλπεται οὔτ' ἐλάχεια,
ἀλλὰ μάλα μεγάλη τε ἰδεῖν καὶ εἶδος ἀγητή,
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα ὁμότροφος Ἀπόλλωνι.
ἐν δ' αὖ τῇσιν Ἄρης καὶ ἐΰσκοπος Ἀργειφόντης,
παίζουσ'· αὐτὰρ ὁ Φοῖβος Ἀπόλλων ἐγκιθαρίζει,
καλὰ καὶ ὕψι βιβάς· αἴγλη δέ μιν ἀμφιφαείνει,
μαρμαρυγαί τε ποδῶν καὶ ἐϋκλώστοιο χιτῶνος.
οἱ δ' ἐπιτέρπονται θυμὸν μέγαν, εἰσορόωντες,
Λητώ τε χρυσοπλόκαμος καὶ μητίετα Ζεύς,
υἷα φίλον παίζοντα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.
Πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐόντα;
ἠέ σ' ἐνὶ μνηστῆρσιν ἀείδω καὶ φιλότητι,
ὁππόσ' ἀνωόμενος ἔκιες Ἀτλαντίδα κούρην,
Ἴσχυ' ἅμ' ἀντιθέῳ Ἐλατιονίδῃ εὐΐππῳ;

---

ὥς ῥα τοῦ ἔνδον ὑλάκτει ἀγαιομένου κακὰ ἔργα.

Deinde Ἀτλαντίδα, ut recte tamen formatum, quantumvis in explicatione haereamus, e cod. Moſcov. praetuli vulgato Ἀζαντίδα.

210. Vulgo haec ſic ſcripta leguntur:

Ἴσχυ' ἅμ' ἀντιθέῳ Ἐλατιονίδῃ εὐΐππῳ;
ἢ ἅμα Φόρβαντι Τριόπω γένος ἢ ἅμ' Ἐρευθεῖ;
ἢ ἅμα Λευκίππῳ καὶ Λευκίπποιο δάμαρτι
πεζός, ὁ δ' ἵπποισιν; οὐ μὴν Τρίοπός γ' ἐνέλιπεν.

In his Τριόπεω γένος Ilgenio, Ἐρεχθεῖ Barneſio et codici Moſc. ἐνέλειπεν aliis debetur. Sed etſi hic omnia obſcura ſunt, illud tamen patet, Triopis mentionem perabſurde fieri, ubi modo de filio eius Phorbante ſermo fuerit. Quare vix dubitari poteſt, Τρίοπος genitivum eſſe, ad quem quae referebantur perierint. Sed magis etiam laboramus in ſenſu totius verſus. Qui quo vulgo legitur loco, πεζὸς de Apolline intelligi poſtulat. A[illegible]

*ἢ ἅμα Λευκίππῳ καὶ Λευκίπποιο δάμαρτι,*
*ἢ ἅμα Φόρβαντι, Τριόπεω γένος, ἢ ἅμ' Ἐρεχθεῖ·*

* * *

*πεζός, ὃ δ' ἵπποισιν· οὐ μὴν Τρίοπός γ' ἐνέλειπεν*

* * *

*ἢ ὡς τὸ πρῶτον χρηστήριον ἀνθρώποισιν*
*ζητεύων κατὰ γαῖαν ἔβης ἑκατηβόλ' Ἄπολλον;*
*Πιερίην μὲν πρῶτον ἀπ' Οὐλύμποιο κατῆλθες·*
*Λέκτον τ' Ἠμαθίην τε παρέστιχες, ἠδ' Ἐνιῆνας,*
*καὶ διὰ Περραιβούς· τάχα δ' εἰς Ἰάωλκον ἵκανες,*
*Κηναίου τ' ἐπέβης ναυσικλείτης Εὐβοίης.*

---

Apollo pedes incedebat, quid mirum, illum, qui equo utebatur, quisquis fuerit, non veniſſe tardius? Miraremur, ſi pedes equitem curſu aequaſſet. Praeterea etiam propter hanc cauſſam abſurda eſt iſta comparatio, quod Apollo, ut deus, etiam pedes debuit equite eſſe celerior; quod eſt huiusmodi, ut omnem comparationem excludat. Quare et *πεζὸς* iſte, et qui equo vehebatur, homo fuerit neceſſe eſt. Id vero non poteſt aliter cogitari, quam ſi locus et turbato verſuum ordine, et lacunis vitiatus eſt. Itaque hunc verſum,

*ἢ ἅμα Λευκίππῳ καὶ Λευκίπποιο δάμαρτι*

qui ob initii ſimilitudinem ſedem ſuam mutaverat, ante illum collocavi:

*ἢ ἅμα Φόρβαντι, Τριόπεω γένος, ἢ ἅμ' Ἐρεχθεῖ.*

Tum perrexerat, opinor, hoc modo poeta: *ἤτοι ὃ μέν*, Phorbas, incedebat

*πεζός, ὃ δ' ἵπποισιν· οὐ μὴν Τρίοπός γ' ἐνέλειπεν*
*υἱός,*

et quae ſequebantur. Narrabat igitur, in illo ſive itinere ſive certamine, quum Phorbas pedes incederet, equo autem uteretur

*στῆς δ' ἐπὶ Ληλάντῳ πεδίῳ· τό τοι οὐχ ἅδε θυμῷ*
*τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα.*
*ἔνθεν δ' Εὔριπον διαβὰς, ἑκατηβόλ' Ἄπολλον,*

* * *

*βῆς ἀν' ὄρος ζάθεον χλωρόν· τάχα δ' ἷξας ἀπ' αὐτοῦ*
*ἐς Μυκαλησσὸν ἰὼν καὶ Τευμησσὸν λεχεποίην.*
*Θήβης δ' εἰσαφίκανες ἕδος καταειμένον ὕλῃ·*
*οὐ γάρ πώ τις ἔναιε βροτῶν ἱερῇ ἐνὶ Θήβῃ,*
*οὐδ' ἄρα πὼ τότε γ' ἦσαν ἀταρπιτοὶ, οὐδὲ κέλευθοι,*
*Θήβης ἂμ πεδίον πυρηφόρον, ἀλλ' ἔχεν ὕλη.*
*ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες ἑκατηβόλ' Ἄπολλον·*

---

Erechtheus, Phorbantem ea fuiſſe pedum celeritate, ut ab Erechtheo non vinceretur.

216. Vulgo Πιερίης. Codd. Pariſ. Πιερίη. Moſc. Πιερίην.

217. Vulgo λέκτον τ' ἠμαθόεντα παρέστιχες ἢ μαγνήϊδας. Cod. Moſc. ἠδ' ἀγνιῆνας. Inde Ilgenius et Matthiae recte ſcripſerunt Ἠμαθίην τε παρέστιχες ἠδ' Ἐνιῆνας. Sed non debebat Λεῦκόν τ' in initio verſus recipi. Non enim Λεῦκος, ſed λευκὸς ποταμὸς vocabatur ille fluvius. Ego Λύγκον δ' emendandum arbitror. Is contiguus Emathiae locus eſt, male a Stephano Byzantino in Epiro collocatus. Vide Holſtenium ad Stephanum v. Λύγκος, et Dukerum ad Thucydidis, apud quem multa eſt Lynci mentio, II. 99.

223. Adeo inepta eſt virentis montis ſine nomine commemoratio, ut dubitari nequeat, verſum excidiſſe. Quare lacunae ſignum poſui. Mons autem iſte Meſſapius ſit neceſſe eſt, quem male in Euboea collocat Stephanus. Boeotiae eſſe, et in hac ipſa regione, quae Lelantio campo oppoſita eſt, e Strabone p. 405. (621) e Pauſania IX. 22, 5. denique ex Aeſchyli Agam. 303. intelligitur.

227. Πώποτε δ' ἦσαν, quod noviſſimus editor primis edd. tribuit, eſt in Ceph. Sed Flor. Aldinae πώποτε γ'.

Ὄγχηστον δ' ἷξες, Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος·
ἔνθα νεοδμὴς πῶλος ἀναπνέει ἀχθόμενος κῆρ,
ἕλκων ἅρματα καλά· χαμαὶ δ' ἐλατὴρ ἀγαθός περ,
ἐκ δίφροιο θορὼν, ὁδὸν ἔρχεται· οἳ δὲ τέως μὲν
κείν' ὄχεα κροτέουσιν, ἀνακτορίην ἀφιέντες.
εἰ δέ κεν ἅρματ' ἄγωσιν ἐν ἄλσεϊ δενδρήεντι,
ἵππους μὲν κομέουσι, τὰ δὲ κλίναντες ἐῶσιν.
ὣς γὰρ τὰ πρώτισθ' ὁσίη γένεθ'· οἳ δὲ ἄνακτι
εὔχονται, δίφρον δὲ θεοῦ τότε μοῖρα φυλάσσει.
ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες ἑκατηβόλ' Ἄπολλον·
Κήφισσον δ' ἄρ' ἔπειτα κιχήσαο καλλιρέεθρον,

---

231. *Ἀχθόμενος κῆρ* edidi cum Ilgenio pro *ἀχθόμενός περ.* De interpretatione loci aſſentior Boettigero, cuius doctam adnotationem inſeruit animadverſionibus ſuis Matthiae. Sed in ea adnotatione quum Spanhemius ad Callimachi hymnum Dianae laudatur, is locus eſt in notis ad hymnum Deli.

242. *Πολύπυρον*, uſitatum Homero epitheton, pro *πολύπυργον* recte Wolfius et Ilgenius e Barneſii emendatione receperunt. E *πύργος* nulla apud Homerum compoſita ſunt, praeter *εὔπυργον Τροίην* Iliad. VII. 71.

250. 251. Valde hi verſus memorabiles eſſe debent veterem geographiam tractantibus. Antiquiſſima enim haec mentio Europae eſt, eaque talis, ex qua id nomen antiquitus ad parvam tantum Europae partem pertinuiſſe appareat. Reizio quidem, *ἤπειρον* ſcribendum coniicienti, tanto minus aſſentior, quod bis in hoc hymno hi verſus occurrunt. Nec, ſi Homero Europa ignota fuit, id hic ullam vim habet. Quamquam valde vereor, ne id commentum ſit grammaticorum, ex ſilentio argumentantium. Et quo tandem ex ſilentio, quum Iliad. II. 461. ſit *Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι*? Nempe ibi illi *Ἀσίω* genitivum eſſe volunt, cuius emendationis eam ipſam rationem afferunt, quod Aſiam non noverit Homerus. Stephanus Byz. in v. *Ἀσία*: *ἔστι καὶ*

ὅς τε Λιλαίηθεν προχέει καλλίῤῥοον ὕδωρ.
τὸν διαβὰς ἑκάεργε καὶ Ὠκαλέην πολύπυρον,
ἔνθεν ἄρ' εἰς Ἁλίαρτον ἀφίκεο ποιήεντα.
[βῆς δ' ἐπὶ Τιλφούσσης· τόθι τοι χῶρος ἀπήμων
τεύξασθαι νηόν τε καὶ ἄλσεα δενδρήεντα·
στῆς δέ μαλ' ἄγχ' αὐτῆς, καί μιν πρὸς μῦθον ἔειπες·
 Τιλφοῦσσ', ἐνθάδε δὴ φρονέω περικαλλέα νηόν,
ἀνθρώπων τεῦξαι χρηστήριον, οἵ τέ μοι αἰεὶ
ἐνθάδ' ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας,
ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν,
ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε, καὶ ἀμφιρύτας κατὰ νήσους,

---

Ἄσιος λειμών. Ὅμηρος· Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, ἀντὶ τοῦ, Ἀσίου. γενικὴ γάρ ἐστιν, οὐκ Ἀσιανῷ. ἀγνοεῖ γὰρ Ὅμηρος τὴν Ἀσίαν, ὡς καὶ τὴν Εὐρώπην. Quid ergo aliud, quam, ne Homerus Aſiae regionis notitiam haberet, Aſiam quemdam heroem commenti ſunt? Illud nimirum leviter curabant, utrum Homerici moris eſſet Ἄσιον λειμῶνα dicere, an nomen addere viri, et eius quidem ignoti, cuius illud pratum eſſet. Homericum eſt Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, ut ἐν λειμῶνι Σκαμανδρίῳ, et recte hinc Virgilius Aſia prata dixit. Quid vero, (res enim ipſa hic locum coniecturae facit) ſi et ille Iliadis et hic hymni locus ſuppeditet, quod Herodoto, neſcire ſe fatenti, unde Aſiae atque Europae nomina ducta ſint, reſpondere poſſimus? Namque Aſia minor, mater artium et eruditionis, haec quoque peperiſſe nomina videtur. Initio interiores Aſiae regiones ignotae erant. Inde quum ad Cayſtrum campi innotuiſſent, avium frequentia mirabiles, qui campi ſive ab limo, quem ἄσιν Graeci vocant, ſive ab ſolis calore Aſia prata appellati ſunt, paullatim hoc nomen ad omnem interiorem Aſiam extendi coepit. Et eſt Aſiae nomen, quocumque flexu vocabuli dicatur, proprie adiectivum. Europae nominis non eſt disſimilis origo. Qui Aſiam minorem tenebant Graeci, inſulas norant, et Graeciae Europaeae oram, quam mare Aegaeum al-

χρησόμενοι· τοῖσιν δέ τ' ἐγὼ νημερτέα βουλὴν
πᾶσι θεμιστεύοιμι, χρέων ἐνὶ πίονι νηῷ.
Ὣς εἰπὼν διέθηκε θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων,
εὐρέα καὶ μάλα μακρὰ διηνεκές· ἡ δὲ ἰδοῦσα
Τιλφοῦσσα κραδίην ἐχολώσατο, εἶπέ τε μῦθον·
Φοῖβε ἄναξ ἑκάεργε, ἔπος τί τοι ἐν φρεσὶ θήσω·
ἐνθάδ' ἐπεὶ φρονέεις τεῦξαι περικαλλέα νηόν,
ἔμμεναι ἀνθρώποις χρηστήριον, οἵ τέ τοι αἰεὶ
ἐνθαδ' ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας·
ἀλλ' ἔκ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν·
πημανέει σ' αἰεὶ κτυπὸς ἵππων ὠκειάων,
ἀρδόμενοί τ' οὐρῆες ἐμῶν ἱερῶν ἀπὸ πηγέων·
ἔνθα τις ἀνθρώπων βουλήσεται εἰσοράασθαι
ἅρματά τ' εὐποίητα καὶ ὠκυπόδων κτύπον ἵππων,
ἢ νηόν τε μέγαν καὶ κτήματα πόλλ' ἐνεόντα.

---

luit. Eam quum ſibi ex adverſo late porrigi viderent, ab ipſa ſpecie Εὐρώπην appellarunt. Peloponneſus, ut ipſum nomen indicat, inſulae loco habita, non erat Europae pars. Itaque ut ille Ἄσιος λειμὼν antiquiſſimam continet Aſiae notitiam, ita hic hymni locus, quae regio primum Europa dicta fuerit, oſtendit: ex quo intelligitur, perantiquum poetam eſſe, qui primus hos verſus compoſuit. Iam vero apertum eſt, quum omnem terrarum orbem, quem quidem Graeci incolerent, his verſibus poeta vellet comprehendere, quare Europam tantum et Peloponneſum et inſulas commemoraverit. Europa enim ea regio erat, quae a Thracia ad Peloponneſum porrecta Graecos tenebat. Inde Peloponneſus et inſulae. Oras Aſiae minoris, quas Graeci habitabant, praeteriit, quod hae non vocarentur communi nomine. Aſia enim erat interior continentis pars, quam non habebant Graeci, aliive populi, quorum ad Graecos notitia perveniſſet.

ἀλλ᾽ εἰ δή τι πίθοιο, σὺ δὲ κρείσσων καὶ ἀρείων
ἐσσὶ ἄναξ ἐμέθεν, σεῦ δὲ σθένος ἐστὶ μέγιστον,
ἐν Κρίσσῃ ποίησαι ὑπὸ πτυχὶ Παρνήσσοιο.
ἔνθ᾽ οὔθ᾽ ἅρματα καλὰ δονήσεται, οὔτε τοι ἵππων
ὠκυπόδων κτύπος ἔσται ἐΰδμητον περὶ βωμόν.
ἀλλὰ καὶ ὣς προσάγοιεν Ἰηπαιήονι δῶρα
ἀνθρώπων κλυτὰ φῦλα· σὺ δὲ φρένας ἀμφιγεγηθὼς
δέξαι᾽ ἱερὰ καλὰ περικτιόνων ἀνθρώπων.
Ὣς εἰποῦσ᾽ ἑκάτου πέπιθε φρένας, ὄφρα οἱ αὐτῇ
Τιλφούσσῃ κλέος εἴη ἐπὶ χθονί, μηδ᾽ ἑκάτοιο.
ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες ἑκατηβόλ᾽ Ἄπολλον.]
ἷξες δ᾽ ἐς Φλεγύων ἀνδρῶν πόλιν ὑβριστάων,
οἳ Διὸς οὐκ ἀλέγοντες ἐπὶ χθονὶ ναιετάασκον
ἐν καλῇ βήσσῃ, Κηφισσίδος ἐγγύθι λίμνης.
ἔνθεν καρπαλίμως προσέβης πρὸς δειράδα θείων·

---

255. Ἡ δὲ ἰδοῦσα scripsi pro ἡ δ᾽ ἐσιδοῦσα. Id infra v. 341. suppeditabat codex Mosc. Et magis convenit usui epicorum. Iliad. XXII. 407. παῖδα ἰδοῦσα fuisse puto pro παῖδ᾽ ἐσιδοῦσα, licet nihil varietatis notatum videam. Sed Odyss. VIII. 526. codd. Vindob. ἀσπαίροντα ἰδοῦσα pro ἀσπαίροντ᾽ ἐσιδοῦσα. Et XVII. 9. cod. Harl. με ἴδηται pro μ᾽ ἐσίδηται. In eodem XXIII. 94. ubi est ἐνωπιδίως ἐσίδεσκεν, scholiastes alios ἤϊσκεν legere observat. Tantummodo Od. XXIV. 101. restat ὡς ἐσιδέσθην.

258. Magis Homericum foret ἐπειδὴ φρονέεις. Iliad. XXII. 378.

ὦ φίλοι, Ἀργείων ἡγήτορες ἠδὲ μέδοντες,
ἐπειδὴ τόνδ᾽ ἄνδρα θεοὶ δαμάσασθαι ἔδωκαν.

281. Inepta est vulgata lectio θύων. Scribendum erat θείων, ut βῆ δὲ θέων.

ἵκεο δ' ἐς Κρίσσην ὑπὸ Παρνησσὸν νιφόεντα,
κνημὸν πρὸς Ζέφυρον τετραμμένον, αὐτὰρ ὕπερθεν
πέτρη ἐπικρέμαται, κοίλη δ' ὑποδέδρομε βῆσσα
τρηχεῖ'· ἔνθα ἄναξ τεκμήρατο Φοῖβος Ἀπόλλων
νηὸν ποιήσασθαι ἐπήρατον, εἶπέ τε μῦθον·
Ἐνθάδε δὴ φρονέω τεῦξειν περικαλλέα νηόν,
ἔμμεναι ἀνθρώποις χρηστήριον, οἵ τέ μοι αἰεὶ
ἐνθάδ' ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας,
ἠμὲν ὅσοι Πελοπόννησον πίειραν ἔχουσιν,
ἠδ' ὅσοι Εὐρώπην τε, καὶ ἀμφιρύτας κατὰ νήσους,
χρησόμενοι· τοῖσιν δ' ἄρ' ἐγὼ νημερτέα βουλὴν
πᾶσι θεμιστεύοιμι, χρέων ἐνὶ πίονι νηῷ.
Ὣς εἰπὼν διέθηκε θεμείλια Φοῖβος Ἀπόλλων,
εὐρέα καὶ μάλα μακρὰ διαμπερές· αὐτὰρ ἐπ' αὐτοῖς
λάϊνον οὐδὸν ἔθηκε Τροφώνιος ἠδ' Ἀγαμήδης,
υἱέες Ἐργίνου, φίλοι ἀθανάτοισι θεοῖσιν·
ἀμφὶ δὲ νηὸν ἔνασσαν ἀθέσφατα φῦλ' ἀνθρώπων
ξεστοῖσιν λάεσσιν, ἀοίδιμον ἔμμεναι αἰεί.
ἀγχοῦ δὲ κρήνη καλλίρροος, ἔνθα δράκαιναν
κτεῖνεν ἄναξ Διὸς υἱὸς ἀπὸ κρατεροῖο βιοῖο,
[ζατρεφέα, μεγάλην, τέρας ἄγριον, ἣ κακὰ πολλὰ
ἀνθρώπους ἔρδεσκεν ἐπὶ χθονί, πολλὰ μὲν αὐτούς,

---

292. Vulgo τῇσιν δ' ἄν. Cod. Mosc. τοῖσιν δ' ἄρ'.

295. Cod. Mosc. καλὰ διηνεκές.

308. Cod. Mosc. ἤνεκ' ἄρα Κρονίδης, i. e. ἡνίκ' ἄρα.

309. Praeter Anacreontis locum LIII. 34. cum verbis congruit Pindar. Ol. VII. 67.

πολλὰ δὲ μῆλα ταναύποδ'. ἐπεὶ πέλε πῆμα δαφοινόν.
καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης
δεινόν τ' ἀργαλέον τε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν,
ὅν ποτ' ἄρ' Ἥρη ἔτικτε, χολωσαμένη Διῒ πατρί,
εὖτ' ἄρα δὴ Κρονίδης ἐρικυδέα γείνατ' Ἀθήνην
ἐκ κορυφῆς· ἡ δ' αἶψα χολώσατο πότνια Ἥρη,
ἠδὲ καὶ ἀγρομένοισι μετ' ἀθανάτοισιν ἔειπεν·
Κέκλυτέ μευ πάντες τε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι,
ὡς ἐμ' ἀτιμάζειν ἄρχει νεφεληγερέτα Ζεὺς
πρῶτος, ἐπεί μ' ἄλοχον ποιήσατο κέδν' εἰδυῖαν·
καὶ νῦν νόσφιν ἐμεῖο τέκεν γλαυκῶπιν Ἀθήνην,
ἣ πᾶσιν μακάρεσσι μεταπρέπει ἀθανάτοισιν·
αὐτὰρ ὅγ' ἠπεδανὸς γέγονεν μετὰ πᾶσι θεοῖσιν
παῖς ἐμὸς Ἥφαιστος, ῥικνὸς πόδας, ὃν τέκον αὐτή.

* * *

ῥίψ' ἀνὰ χερσὶν ἑλοῦσα, καὶ ἔμβαλον εὐρέϊ πόντῳ·
ἀλλά ἑ Νηρῆος θυγάτηρ Θέτις ἀργυρόπεζα
δέξατο, καὶ μετὰ ᾗσι κασιγνήτῃσι κόμισσεν.
ὡς ὄφελ' ἄλλο θεοῖσι χαρίζεσθαι μακάρεσσιν.
σχέτλιε, ποικιλομῆτα, τί νῦν ἔτι μήσεαι ἄλλο;
πῶς ἔτλης οἶος τεκέειν γλαυκώπιδ' Ἀθήνην;
οὐκ ἂν ἐγὼ τεκόμην; καὶ σὴ κεκλημένη ἔμπης

---

313. Recte ſic libri omnes. Πρῶτον ἐπεί μ' ἄλοχον ποιήσατο quare dicere poeta non potuerit, ſponte intelligitur.

321. Cod. Moſc. χαρίσασθαι.

322. Cod. Moſc. τί νῦν μητίσεαι ἄλλο;

ἦν ἄρ' ἐν ἀθανάτοισιν, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν;
καὶ νῦν, τοίγαρ ἐγὼ τεχνήσομαι, ὥς κε γένηται
παῖς ἐμός, ὅς κε θεοῖσι μεταπρέποι ἀθανάτοισιν,
οὔτε σὸν αἰσχύνασ' ἱερὸν λέχος, οὔτ' ἐμὸν αὐτῆς,
οὐδέ τοι εἰς εὐνὴν πωλήσομαι, ἀλλ' ἀπὸ σεῖο
τηλόθ' ἐοῦσα θεοῖσι μετέσσομαι ἀθανάτοισιν.
  Ὣς εἰποῦσ', ἄπο νόσφι θεῶν κίε χωομένη κῆρ.
αὐτίκ' ἔπειτ' ἠρᾶτο βοῶπις πότνια Ἥρη,
χειρὶ καταπρηνεῖ δ' ἔλασεν χθόνα, καὶ φάτο μῦθον·
  Κέκλυτε νῦν μοι γαῖα καὶ οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν,
Τιτῆνές τε θεοί, τοὶ ὑπὸ χθόνι ναιετάοντες
Τάρταρον ἀμφὶ μέγαν, τῶν ἐξ ἄνδρες τε θεοί τε·

---

325. Vulgo ἦν ἄρ' ἐν. Codd. Pariſ. et Moſc. ἦ ῥ' ἐν. Inde noviſſimus editor fecit ἦά ῥ ἐν. Quod propterea ferri non poteſt, quia ῥὰ non ponitur poſt vocalem, quae elidi poteſt, niſi poſt ὅτι, quum ῥὰ eſt ſine eliſione. Ὅτι ῥα θνήσκοντας ὁρᾶτο. Sed quum ῥὰ vocalem amittit, ὅτ' ἄρ' dicitur, ut in hoc hymno v. 100. Recte ergo ἅ ῥα, τά ῥα, ut Iliad. II. 36. 38. VI. 314. Od. XVIII. 344. Sed male τοῖά ῥ' eſt Od. VII. 132. ubi alii, ſicuti debet, τοῖ' ἄρ'. Sincera vero eſt vulgata lectio, ἦν ἄρ'. Ἦν autem tertia perſona eſt. *Etiam ſi ego*, inquit, *Minervam peperiſſem, tamen ea tua dicta eſſet filia.* Et κεκλημένος τινὸς eſt *filius alicuius:* vide quae dixi ad Pind. Pyth. III. 114. quibus adde Soph. Electr. 366.

νῦν δ' ἐξὸν πατρὸς
πάντων ἀρίστου παῖδα κεκλῆσθαι, καλοῦ
τῆς μητρός.

326. Cod. Moſc. καὶ νῦν μέντοι ἔγωγ' ἐχθήσομαι.

327. Non puto ἐμὸς mutandum eſſe in ἐμοί. Senſus eſt, *ut meus aliquis naſcatur filius.* Si dativo uti poeta voluiſſet, καὶ ἐμοὶ, credo, dixiſſet.

αὐτοὶ νῦν μευ πάντες ἀκούσατε, καὶ δότε παῖδα
νόσφι Διός, μηδέν τι βίην ἐπιδευέα κείνου·
ἀλλ᾽ ὅγε φέρτερος εἴη, ὅσον Κρόνου εὐρύοπα Ζεύς.
Ὣς ἄρα φωνήσασ᾽ ἵμασεν χθόνα χειρὶ παχείῃ·
κινήθη δ᾽ ἄρα γαῖα φερέσβιος· ἡ δὲ ἰδοῦσα
τέρπετο ὃν κατὰ θυμόν· ὀΐετο γὰρ τελέεσθαι.
ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα τελεσφόρον εἰς ἐνιαυτὸν
οὔτε ποτ᾽ εἰς εὐνὴν Διὸς ἤλυθε μητιόεντος,
οὔτε ποτ᾽ ἐς θῶκον πολυδαίδαλον, ὡς τὸ πάρος περ
αὐτῷ ἐφεζομένη πυκινὰς φραζέσκετο βουλάς·
ἀλλ᾽ ἥγ᾽ ἐν νηοῖσι πολυλλίστοισι μένουσα
τέρπετο οἷς ἱεροῖσι βοῶπις πότνια Ἥρη.

---

330. Vulgo τηλόθεν οὖσα. Emendavi ad Orphica p. 824. Vide Iliad. VIII. 285. XXI. 154. Od. I. 22. V. 55. XI. 438.

333. Χειρὶ καταπρηνεῖ eſt Iliad. XVI. 792. χειρὶ καταπρηνεῖ ἐλάσας Od. XIII. 164. Itaque poeta, ne Homericum hemiſtichium immutaret, maluit δὲ poſt ſecundum vocabulum ponere, quod alias cavent antiqui. Vide ad Orph. p. 820.

335. Conſtructionis difficultatem bene expedivit Matthiae. Latiſſime patent in antiquo ſermone anacolutha: ad quod genus quaedam pervulgata, de quibus non ſolet cogitari, referenda ſunt, ut δὲ in apodoſi.

337. Cod. Moſc. αὐτήν. Αὐτοὶ non poteſt ad praecedentia trahi.

341. Cod. Moſc. ἡ δὲ ἰδοῦσα. Vulgo ἡ δ᾽ ἐσιδοῦσα. Vide ad v. 255.

345. Formula, ὡς τὸ πάρος περ, qua ſaepe utitur Homerus, ſola per ſe poni ſolet. Vix alibi verbum adiectum inveneris, quam Od. XIX. 340. κείω δ᾽, ὡς τὸ πάρος περ ἀΰπνους νύκτας ἴαυον. Neque hic ſequentem verſum, ſi abeſſet, quisquam deſideraret. Coniiciat fortaſſe aliquis, ſcribendum eſſe, ᾧ τὸ πάρος περ αὐτῷ ἐφεζομένη, de qua loquendi ratione vide ad Vigerum p. 708. Facilius tamen poetam dediſſe crediderim, ὡς τὸ πάρος

ἀλλ' ὅτε δὴ μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο,
ἂψ περιτελλομένου ἔτεος, καὶ ἐπήλυθον ὧραι,
ἡ δ' ἔτεκ' οὔτε θεοῖς ἐναλίγκιον οὔτε βροτοῖσιν,
δεινόν τ' ἀργαλέον τε Τυφάονα, πῆμα βροτοῖσιν.
αὐτίκα τόνδε λαβοῦσα βοῶπις πότνια Ἥρη,
δῶκεν ἔπειτα φέρουσα κακῷ κακόν· ἡ δ' ὑπέδεκτο.]
ἣ κακὰ πόλλ' ἔρδεσκε κατὰ κλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων·
ὃς τῇγ' ἀντιάσειε, φέρεσκέ μιν αἴσιμον ἦμαρ,
πρίν γέ οἱ ἰὸν ἐφῆκεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων
καρτερόν· ἡ δ' ὀδύνῃσιν ἐρεχθομένη χαλεπῇσιν
κεῖτο μεγ' ἀσθμαίνουσα, κυλινδομένη κατὰ χῶρον.
θεσπεσίη δ' ἐνοπὴ γένετ' ἄσπετος· ἡ δὲ καθ' ὕλην
πυκνὰ μάλ' ἔνθα καὶ ἔνθα ἑλίσσετο, λεῖπε δὲ θυμὸν
φοινὸν ἀποπνείουσ'· ὁ δ' ἐπεύξατο Φοῖβος Ἀπόλλων·
Ἐνταυθοῖ νῦν πύθευ ἐπὶ χθονὶ βωτιανείρῃ·
οὐδὲ σύγε ζώουσα κακὸν δήλημα βροτοῖσιν
ἔσσεαι, οἳ γαίης πολυφόρβου καρπὸν ἔδοντες
ἐνθάδ' ἀγινήσουσι τεληέσσας ἑκατόμβας·

---

περ Ζηνὶ παρεζομένη πυκινὰς φραζέσκετο βουλάς. Παρέζεσθαι est confabulantium: Iliad. I. 407. 557. V. 889. Od. IV. 738. XX. 334.

349. Vulgo νύκτες τε καὶ ἡμέραι. Cod. Mosc. μῆνές τε καὶ ἡμέραι ἐξετελεῦντο ἂψ ἐπιτελλομένου ἔτεος, ut refert Ruhnkenius. Novissimus editor ἤματα pro ἡμέραι ex eo codice affert, cui credi posset, quoniam a Mitscherlichio accuratissimam istius codicis collationem acceperat, nisi ipse fidem suam toties suspectam redderet.

352. Cod. Mosc. πῆμα θεοῖσιν.

355. Non adnotata est in novissima editione lectio vulgata ὃς κακά.

οὐδέ τί τοι θάνατόν γε δυσηλεγέ' οὔτε Τυφωεὺς
